



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Annalium Paderbornensium Pars ...**

Complectens Inprimis Fusiorem Episcoporum Paderbornensium, Deinde  
Succinctiorem Historiam Reliquorum Per Westphaliam ...

Ab Anno Christi 1228 Usque Ad Annum 1500

**Schaten, Nicolas**

**Monasterii Westphalorum, 1775**

Liber XVI. [1417 - 1440]

**urn:nbn:de:hbz:466:1-7971**



ANNALIUM  
PADERBORNENSIIUM  
LIBER XVI.

THEODORICUS  
COMES MÖRSANUS  
ARCHIEPISCOPUS COLONIENSIS  
ET  
XXXVI. TITULO ADMINISTRATORIS  
EPISCOPUS PADERBORN.



Posteaquam iis, quibus diximus antibus, Theodoricus Mörsanus, Coloniensis Archiepiscopus, *Wilhelmum* Antistitem nostrum ab Episcopatu Paderbornensi removisset; sine omni deinceps contentione in eas, quas juraverat leges, supra a nobis relatas, Episcopatum Paderbornensem anno superiori Administratores titulo adiit. Primus ille, qui in hac celebri & vetusta a Caroli M. aro Episcoporum sede proprium exclusit Episcopum, & præter Coloniensem, quam gerebat, amplissimam dicecesin, se huic quoque, ex diffidio Capituli & urbis, obtrusit Administratorem Epi-

scopum: novo prorsus, qui posthæc frequentissimus invaluit, per Saxoniam titulo, & per id tempus fere tantum ab Ottone Monasteriensi Episcopo, eodemque Administratore Osnabrugensis Ecclesiæ usurpato. Nam cum duos Episcopatus gerere jura prohibeant, reperiuntur hic Administratores titulus a Bonifacio VIII; sicut Coadjutoris titulus ab aliis Pontificibus approbatus: quo ob Ecclesiarum necessitatem, urgentesque causas, uni plures sunt permisi gubernandi Episcopatus. Quanquam multa hujusmodi vel temporum iniquitas, vel hæresis potentia (cui validiore præsidio obstruendum erat) vel Pontificum indulgentiæ expresserint. Si non sæpe etiam



etiam dominandi ambitio, & familiæ amplificatione stabiliendæque cupiditas intervenerit; cum vel unus Episcopatus per Saxoniam & Germaniam in illa dicecesium amplitudine angelicis etiam humeris formidandus sit. Sed hæc aliena ab hoc instituto scriptionis nostræ. Sane quo Successu, qua Capituli & ordinum penitentia, Administrator hic expeditus fuerit, satis ex iis, quæ relaturi sumus, constabit. Nam postquam dicecesim debitis gravare, castra & Oppida oppignorare, atque hunc ipsum Episcopatum in unum Ecclesiæ corpus cum Colonienfi Archiepiscopatu conjugere cepit: tum primum didicere

Paderbornenses, quo malo consilio Episcopum suum rejecissent, & hunc Administratorem subrogassent. Interea ille ingentibus animis utriusque Episcopatus gubernationem exorsus. Præful literis apprime excultus, animo excelsus, liberalitate profusus, aulæ magnificentia supra ceteros sacri ordinis Archiepiscopos splendidus, magnæ auctoritatis apud Principes ac Cæsarem: ortus ex illustri Comitum Mörnsium familia; quorum Comitatus haud procul a Rheno situs, ex celebri castro, & Oppido Mers inter Reinberckam & Ordینگam veterem Comitum sedem monstrat.

## Annus Christi 1417.

Sed. vac. 3. Sigismundi Imp. 8.

Theodorici Administratoris 2.

*Annal. Col. Distidum Theodorici Archiepisc. cum urbe Colonienfi. Litera Kalenb. Archiv. Paderborn.*

Sub exordia Episcopatus sui Theodorici collisus cum urbe Colonienfi, refricta veteri cicatrice vulnere de jure vectigalium, rutela Judæorum cæterisque controversiis, quæ Archiepiscopis cum urbe fuerant; ceptumque a dissidiis procedi ad publicas hostilesque incurfiones & agrorum damna. Id armatum dissidium in aliquot abhinc annos protractum, non sine alienis etiam gravibusque hujus Dicecesis impensis. Quam in rem Theodoricus multa cepit oppignorare castra hujus dicecesis; interque alia hoc anno castrum Kalenbergam prope Warburgum Ravoni Pappenheimio, accepta certa pecuniæ summa, in pignus & feudum dedit. Qua super re literæ adfunt, Arensbergæ in arce ab ipso Theodorico Archiepiscopo & Capitulo post festum D. Egidii consignata. Bonam præterea amicitiam cepit Archiepiscopus colere cum Theodorico Corbeiensium Abbate; lustrataque ea parte dicecesis, in congressu mutuo Archiepiscopus & Abbas incolis Beverunganis potestatem fecere pagum suum firmare in Oppidum. Quam in rem civium jura & privilegia concessa exemptioque a tributis in decimum annum; quod interesset locum illum præmunire ad Visurgim; tamen jam celebre illic castrum consisteret, Paderbornensium Episcoporum & Abbatum impensis, ut supra retulimus, constructum.

*Litera Corbeiensis. Beverunganis jura civitatis conceduntur.*

Extrahebatur interea concilium Constantiense per frequentes & opero-

fos Patrum congressus, multasque salutare constitutiones, in hunc quartum annum, qui sæculi hujus numerabatur decimus septimus. Interque cetera Abbatibus, Prioribus, & viri ex ordine D. Benedicti præstantissimi, qui cum primis ex Moguntina Metropoli ad concilium accesserant (uti Gobelinus noster hæc perhibet) egere apud Episcopos & Patres de collapsa ordinis sui disciplina restauranda; idque eo constantius ab illis agitata, quod scirent, Sigismundo Cæsari id cum primis gratum fore, malentque sui ordinis exemplo communem Ecclesiæ statum instaurare, & quæ de Cleri populique moribus agitabantur, prævertere. Quare inter Abbates ex Episcoporum assensu convenit, omnia Cœnobium Moguntinæ Metropolis reducere ad normam vigoremque disciplinæ, quæ a D. Benedicto antiquitus instituta esset. Eam in rem viri religione & doctrina præstantes constituti sunt, qui cum plena potestate per provincias missi, munus illud exequerentur; sicuti & anno proximo Paderbornam accessisse referemus, a quibus Abdinghovichianum Monasterium tandem in pristinam formam compositum est. Hinc mirari subit Calvisium ex Langio scribere, Patres concilii Constantiensis, cum præ otio non haberent, quæ tractarent, inquisivisse, quantus per Europam Cœnobiolorum Benedictinorum esset numerus, repertaque esse supra quindecim millia ac centum Cœnobium, in quibus plus quam centena & vicena millia

*Patres Benedictini in Concilio Constantiensi urgent Ordinis reformationem.*

*Unanimi omnium consensu in Pontificem eligatur Otto de Colonna, Martinus V. dictus.*

*Finis Concilio Constantiensi imponitur.*



millia Monachorum viverent; ex eoque ordine plus quam triginta millia Divorum factis adscripta esse. Quæ sane investigatio, si quidem facta, non otiosorum Patrum occupatio fuit, sed hortamentum, ut sanctissimum & fulgentissimum hunc ordinem ad primum florem revocarent. Vergente jam in Autumni exitum anno, postquam Benedicto XIII Pontificatus a concilio abrogatus, Cæsar cum Germanica natione prius urgebat Ecclesiæ ordines formari in melius: id cum cæteræ nationes abnuerent, vellentque prius Pontificem eligi, cujus auctoritate reformatio robur haberet; Cæsare assentiente, inclinatique omnium animis ad Pontificem eligendum, Cardinales cum triginta spectatissimis viris, ex universis nationibus delectis, conclave sunt ingressi; latisque suffragiis, Odonem columnam Cardinalem S. Georgii concordibus animis Pontificem dixere; qui Martini V. nomen, quod festo D. Martini die electus esset, assumpsit. Qua super re inter cæteros Baptista Fulgolus, cum diuturno schismate, inquit, discissa esset Christi tunica, in Constantiensi Concilio, ubi Cardinalium numerus duos & triginta superabat, abdicatis Pontificatu Joanne, Gregorio, atque Benedicto, miro omnium consensu Pontifex creatus fuit, atque ex Ottone, qui gente Columna ortus erat, Martinus quintus appellatus est. Unum namque illum ob singularem virtutem, bonitatem, atque doctrinam tanto honore dignum duxerant, neque ipsorum suffragiis, sed Deo electum deserebant. Quippe qui in Concilio Constantiensi inter omnes Cardinales maxime aspectabilis, cum multis inter partes altercationibus ageretur, ipse medias semper partes singulari prudentia amplexus est, id unum semper dicere solitus: *Diligite justitiam, qui judicatis terram.* Electione hujus Pontificis vulgata, omnia Europæ regna, ac

postremo etiam Hispania, abjurato Benedicto XIII, quem hætenus coluerat, in concordiam sub capite venit; redditaque est Christianæ Reipub. post sædum tandem schisma pax, & tranquillitas; una peninsula excepta, in quam se Benedictus obstinatissimo in retinendo Pontificatu animo cepit. Nec multo post accessere Græcorum Imperatoris Legati ad Pontificem, ultro se ad concordiam cum Latina Ecclesia offerendo. Sane vero quantum omnes hæreses antiquæ & recentes, quæ cum Wicleffitis, Hussitis, cæterisque invaluere, laborarunt in Monarchia & Hierarchia Ecclesiæ convellenda; tantum semper Catholici contenderunt, ut sub uno rectore & capite Ecclesiam & Christi instituta, Petro ejusque Successoribus tradita, conservarent; quod in suprema illa auctoritate firmissimum præsidium, & divinum sit vinculum, quo tot diversæ per orbem Christianum nationes in una religione continentur.

Cæterum dum hoc anno Sigismundus Imperator in Concilio versaretur, Amadæum Sabaudia, & Adolphum Clivia Comites, 28 Aprilis, festo nimirum Vitalis M. die, amplioribus honoribus extulit, & Duces Imperii solemnni ritu creavit; sicuti jam ante, 18 Aprilis hujus anni, Friderico Norimbergensi Burggravio Marchionatum Brandeburgensem, acceptis quatuorcentis aureorum millibus, vendidit, collata simul Electoris dignitate; ea tamen lege, ut si filius Imperatori nasceretur, eadem pecuniæ summa utramque dignitatem redimi sineret. Erat is Friderici V Burggravii filius, nepos vero Friderici IV, quem Rudolphus Cæsar Noricis Burggravium primo dederat; ab eo deinceps Electoris dignitas in hanc Brandeburgensium familiam est inventa.

*Naucerus Trithem. ad an. 1415. Techemach part. 2. fol. 256. Hist. Brandenburg. Sigismundus Imp. Comites, Clivenfen, & Sabaudum, Duces creat; & Fridericum Norimberg. Burggravium Electorem & Marchionem Brandenburg. dicit.*

## Annus Christi 1418.

Martini V. Pont. 1. Sigismundi Imp. 9.  
Theodorici Administratoris 3.

Anno hoc prænominato Constantiense Concilium, omnibus denique agitatis absolutisque, feliciter 22 Aprilis ad metam pervenit. Id, licet in numerum Generalium Conciliorum veniat, non prius tamen plenam auctoritatem

obtinuit, quam Martinus Pontifex legeretur. Quapropter, quæ sessionibus ultimis sunt comprehensa, quæque Martinus postea rata legitimaque scivit, ea demum omnia sancta veneratur amplectiturque Ecclesia. Hinc & iis, quæ

supre-

Unanimum  
omnium  
consensu in  
Pontificem  
eligitur  
Odo de  
Columna,  
Martinus  
V. dicitur.

Patres Be-  
nedictini  
in Concilio  
Constanti-  
ensi urgent  
Ordinis re-  
formationem.

Finis Con-  
cilio Con-  
stantiensi  
imponitur.



superioribus congressibus Pontificis dignitatem oppugnant, post in Florentino & Lateranensi Concilio derogatum est. Pontifex exinde in Italiam discessit. Imperator postquam ob supplicium Joannis Hussi & Hieronymi Pragensis Bohemos in furorem agi, & in omnia sacra deservire didicit, Wenceslao fratre ac Rege nihil per ignaviam obmovente; literis ad Ordines Bohemiarum datis, ad saniores eos mentem revocare studuit. Sed levibus his lentisque remediis hæresi armandi se spatium animosque dedit; quando jam in locum Hussi novus hæresis incentor ac Dux Joannes quidam sacerdos, Præmonstratensis ordinis defertor, homo ad omne scelus audax, se obtulerat, concitando populum concionibus, Eucharistiam per plateas ab una æde sacra in aliam deportando, alias atque alias impensius a Wenceslao Rege Ecclesias postulando. Jamque per Moraviam adeo se diffuderant, ut publicis literis, a proceribus ac nobilibus subfignatis, libertatem suæ sectæ a Sigismundo Imperatore peterent. Ac nihil propius erat, quam ut virus per Thuringiam, Misniam, & Saxoniam eadem contagione proferrent. Tanta erat in Clero & populo ubique morum corruptio.

Invalet  
Hæresis  
Hussitarum

Interim quæ supra in Concilio constituta diximus de Monasteriis D. Benedicti in meliorem disciplinæ ordinem redelegendis, ea hoc anno initium habuerunt. Convenere enim Moguntiarum Abbas Fuldenfis, Campidonensis, Augustanus, alique, qui a Concilio Præsides hujus salutaris operis nominati erant. Habuit is labor apud alios fructum, apud alios magna impedimenta: Paderbornæ certe feliciter successit.

Reformatur  
Cœnobium  
Abbatum  
dinckhovi-  
num.

Nam postquam quarto die Februarii accessere Paderbornam duo viri religione & doctrina præstantes, Monachi e Cluniacensi Monasterio, ex quo olim a Meinwerco evocati traductique erant primi Abdinghoviani Monasterii coloni, secumque deferrent literas Apostolicas; Sigismundi Cæsaris, & Abbatis Cluniacensis, eas Abbati & Monachis exhibuere, simul indicando, qua auctoritate adestent, & qua mente Monasterium ad normam a D. Benedicto præscriptam, & a Cluniacensibus in hunc diem servatam, formare sibi in man-

dati esset. Quæ si minus admittere velent, scirent se Ecclesiæ penis & censuris perstringendos. Ad quæ cum se Abbas & Monachi obsequentes ostenderent, in hasce leges adstrinxere: *Vitam cum primis ad tria ordinis solemnia vota paupertatis, castitatis, & obedientiæ quam sanctissime conforment, neque ulli fas sit quicquam proprii habere; omnes in uno triclinio cibum capiant: nulli permissum sit carnibus vesci, præterquam infirmis; silentio singuli vacent; cellæ fenestras vimineis cratibus intextas habeant, & vestitus sine linea tela sit; nulla deinceps mulier intra septa claustrî admittatur.* Hæc, quantumvis sibi displicere ostenderent, postquam tamen auctoritate Pontificis, & Cæsaris fuere proposita, Abbas & Monachi receperunt. Ac mirum, inquit Gobelinus, nullum vel e Clero, vel civibus, vel militaribus repertum esse, qui vel nutu se duobus istis extraneis Monachis opponeret. Et quanta tamen ante rebellionem totus prope clerus, urbs, & nobilitas se Wilhelmo Antistiti suo objecerat, ne dissolutum illud Monasterium in ordinem redigeret? seu nunc illi dissimulanter hæc ad tempus admisissent, seu ad Priorem postea laxitatem redierint. Sane ut diximus, Abbas, omnium harum turbarum auctor, quarto abhinc mense, undecima videlicet Junii, acerbis colicæ & calculi doloribus absumptus, sine perceptis sacramentis excessit e vita.

Tumultuantibus per hæc Colonienfis, Theodorico Archiepiscopo Administratori nostro, gravius bellum fuit; ad quod Joannes Moguntinus, & Wernerus Trevirensis, Archiepiscopi, alique Principes armati convenere: offensi nimirum immodica Agrippinensium civium libertate, qua præterfluentem urbi Rhenum, defixis in altum palis, commeantibus navibus ultro citroque intercluserant. Scripto igitur exercitu, copiæ navibus impositæ sunt; revulsisque palis, primum navigandi libertas reddita est: urbs deinde in alterum annum fatigata agrorum incurfionibus & civium spoliis; donec Otto Trevirorum Archiepiscopus, Wernerus Successor, Coloniam ingressus, cives cum Archiepiscopo suo pace, licet haud diuturna, componeret.

Chron. Col.  
Brevit.  
1. 18. annal.  
Bellum  
Theodorici  
Archiep.  
cum urbe  
Colonienfi.

Gobelinus  
Mala Dico-  
cessis Pad.  
administratio.

Gobelini  
brevis vita  
epitoma.



Gobelinus  
Mala Dico-  
cesis Pad.  
administra-  
tio.

Id vero civile bellum dum Theodoricum Administratorem nostrum absentem distrinxit ad Rhenum, non de-  
fuere ex vicinis tumultuarii homines,  
qui dicecesin quotidianis rapinis & in-  
cursionibus divexarent. Quæ tanto  
etiam acerbius ab ordinibus sunt acce-  
pta, quod Morfanum secundis tantum  
curis hanc dicecesin cernerent suscepisse  
regendam, & tanquam in supplemen-  
tum, ubi opus esset, Colonienfibus se-  
posuisse. Hinc sensim pœnitentia subiit  
multorum animos, ac tum primum ad-  
vertere cœperunt, quam pravo consi-  
lio Wilhelmum proprium suum Epi-  
scopum abjecissent; eoque redacti sunt,  
ut ejus patrocinium adversus prædones  
implorare necesse habuerint. Quæ ma-  
la cum quot annis invalescerent, Gobe-  
linus etiam, tædio rerum tam pertur-  
bate succedentium, calamum se histo-  
riæ pertexendæ hoc anno posuisse scri-  
bit. Hic vero nobilis ille scriptor,  
quem non tam ab eruditione & multo  
scripcionis labore, quam a religione &  
ferventi studio in reducendis Cleri &  
Monachorum moribus ad veterem di-  
sciplinam, vita factaque commendant.  
Natus fuit Gobelinus (ut hæc compen-  
dio hic repetam) in Westphalia anno  
Christi 1358, quamvis natalis locus in-  
compertus. A primis annis literis ope-  
ram dedit inter suos; inde in Italiam  
profectus, ætatem politionis literaturæ,  
tum juris Canonici studiis præclare ex-  
coluit; versatusque posthæc est cum  
Theodorico Niemio populari suo mul-  
tos annos in curia Romana, Pontifici-  
bus, Cardinalibus & Episcopis familia-  
ris; quorum beneficio aditum habuit  
ad Sacerdotium, quo anno Christi 1386  
initiatum fuit. Perlustrata Italia, regres-  
sus in patriam, primum Rector Capellæ  
Ss. Trinitatis Paderbornensi in urbe fuit;  
deinde concionem in templo forensi  
dixit: quo in munere, cum iniqua ad-  
versus libertatem Ecclesiasticam ple-  
biscita perstringeret, & a Wilhelmo Epi-  
scopo judex rerum Ecclesiasticarum de-  
lectus, Cleri & Cœnobii Abdinghovia-  
ni emendationem urgeret, communem  
cum Episcopo invidiam contraxit; mul-  
tisque injuriis tractatus, Bilfeldiam se-  
cessit, translato secum Bilfeldiam judi-  
cio. Ea simul in urbe Decanus Collegii  
factus, vixit cum Wilhelmo adhuc an-  
no 1416 Decanus, ætate prope sexage-  
narius. Tandem negotiorum publico-

Gobelini  
brevis vita  
epitome.

rum & humanarum rerum pertæsus,  
ut Meibomius perhibet (quod ab hoc  
anno factum fuisse necesse est) ad Bo-  
decense Cœnobium secessit; in quo re-  
liquam vitæ partem inter religiosos  
sanctæque vitæ sacerdotes exegit. Per-  
texuit historiam ab orbe condito per VI  
ætates divisam, & ad hunc annum Chri-  
sti Mccccxviii deductam. Quod opus  
Cosmodromium inscripsit, a multis vi-  
ris eruditis dilaudatum; nec immerito.  
Quippe qui res Westphaliæ ab aliis præ-  
termissas diligenter in literas retulit. Cœ-  
pit Bonifacio IX Pontifice opus, absol-  
vitque Martino V Pontifice, anno ejus  
primo, qui Christi erat 1418.

Vixit ad id tempus una cum Gobe-  
lino Theodoricus a Niem, alter Pader-  
bornensis scriptor; uti ex iis constat,  
quæ de Concilii Constantiensis exordiis  
tradit. Patria illi Oppidum Niehemium  
fuit in dicecesi Paderbornensi haud in-  
celebre, ubi honestis parentibus geni-  
tus; uti præter Meibomium ipsi Pader-  
bornenses scripto suo ad Martinum Pon-  
tificem eum inter illustres suæ dicecesis  
viros numerant, Oppido Niehemio ori-  
undum; falliturque Fabritius, qui Mag-  
denburgensem scribit; aut qui equestri  
Niemiorum familia apud Osnabrugen-  
ses ortum voluit. Literis domi excul-  
tus, in Italiam profectus est, supra qua-  
draginta septem annos in curia Romana  
sub quinque Pontificibus, Gregorio XI,  
Urbano VI, Bonifacio IX, Innocentio  
VII & Gregorio XII versatus, sicuti id  
de se scribit. Ac primum ob doctrinæ  
præstantiam in Collegium Abbreviato-  
rum, qui & scribæ & Secretarii Pon-  
tificis appellantur, receptus, Legatisque  
additus, Græciam aliquando etiam per-  
lustravit, quod ex scriptis quoque ejus  
colligi volunt. Ex privato isto munere,  
& Lucensis Ecclesiæ sacerdote, ob sa-  
cræ scripturæ & legum peritiam, a Bo-  
nifacio IX, ut Crantzius tradit, Verden-  
sis Ecclesiæ Episcopus subrogatus est in  
locum Ottonis Brunswicensis, postquam  
ille ad Archiepiscopatum Bremensem  
transierat. Verum dicecesin ingressus,  
reperit eam Theodoricus multis bonis  
spoliatam, arcemque adeo Rodenburgam  
ab Ottone antecessore retineri;  
quam cum ille, lite in Romano judicio  
inventa, repeteret, multosque simul  
agendi importunitate offenderet; roga-  
tu Verdensium, a Bonifacio ad Came-  
B b b racen-

Libro de  
vita.  
Joannis  
Pontificis,  
Gerhardus  
Vossius de  
Histor. latin.  
Meibom. in  
prefat. ad  
viam Jo-  
annis Pon-  
tificis a Nie-  
mio scri-  
ptam.  
Compen-  
dium vitæ  
Theodorici  
a Niem,  
Scriptoris  
Dicecesis  
Paderb.  
Fabritius  
lib. 1. Orig.  
Saxon.  
Crantz. lib.  
10. Metrop.  
c. 42.

Chron. Col.  
Brewer.  
1 18. anal.  
Bellum  
Theodorici  
Archiep.  
cum urbe  
Colonienf.



racensem Episcopatum translatus est; eique in Verdensi Episcopatu successit Conradus de Vechra, Westphalus itidem, & sacrorum canonum Doctor, is qui post ad Pragensem Archiepiscopatum proventus, in Hussitarum partes hæresinque transiit. Hac Cranzius & Bruschius de Theodorico perferunt; ac tametsi ab his ordine in factis Episcoporum Verdensium collocetur; inter electos tamen potius Episcopos, quam confirmatos possessoresque dicecesis numerandus est. In scripto vero Paderbornensium ad Martinum Pontificem inter claros quidem huius dicecesis viros prædicatur; nulla tamen Episcopatus ejus facta mentione; & nostabulas producimus, quibus inter privatos etiam subscripsit; minus certo ad Cameracensem Episcopatum pervenerit, quod in factis eorum Episcoporum nullibi proditus reperitur. Quare Romæ inter eruditos ejus sæculi viros privatam semper vitam coluisse dixerim, ubi historiam annorum xxxviii libris quatuor complexus est; quorum tres priores sunt de schismate eorum temporum: quartus Nemiis unionis inscribitur: his quintus accessit de vita Joannis xxiii Pontificis. Acerbus scriptor in Pontificem, & Romanorum moribus exagitantis; quales plerumque esse solent, qui vel cum Platina læsi, vel speratis honoribus potiti non sunt.

Cranz. lib. 10. Metrop. c. 42. Bruschius catal. Episcop. Verdens. Litera Paderborn.

Gleib. l. 3. Sacrar. Syn. pag. 39. Chron. Widesch. l. 1. c. 41. Exagitantur Clerici in communi viventes

Sub anni hujus tempus, quo Concilium Constantiense finitum est, haud levi procella agitati Regulares Clerici, qui secundum D. Augustini institutum vitam in communi societate viventium amplexi erant; & jam ab aliquot annis magno Germaniæ bono florere cœperant. Ausus quippe Matthæus Grabbo Razeburgensis, e Prædicatorum familia

## Annus Christi 1419.

Martini V. Pont. 2. Sigismundi Imp. 10.

Theodorici Admin. Pad. 4.

Aeneas Sylvius. Histor. Boem. Cochlaus lib. 4. Nauerus Raynald. in Histor. Ecclesiast.

Subit annus procurrentis sæculi decimus nonus, qui Wenceslaum tandem inertissimum & flagitiosissimum Bohemiæ Regem, die xvi Augusti sustulit e vita; ætatis quinquagesimo septimo; Regni Bohemici quinquagesimo quinto. Fatalem morbum contraxit ex Hussitarum dominatu & sevicia; nam cum videret eos jam armatos prorumpere;

Theologiæ professor, librum a se conscriptum spargere in vulgus, quo contendeat fas non esse ulli extra Mendicantium ordines amplecti aliquid viarum institutum; in quo palam secundum Evangelicæ consilia paupertatem, castitatem, & obedientiam profiterentur. Is liber, tanquam classico inflato, multos adversarios concivit Clericis hisce ex Medicantium familiis, a quibus traducti oppugnatique. At postquam ead Theodoricum Coloniensem Archiepiscopum delati fuere; convocavit ille in Concilium ex omnium facultatum Collegiis viros eruditos; quorum iudicio cum institutum Clericorum magno opere probaretur, Archiepiscopus publicis etiam tabulis confirmavit. Hac Colonienstem sententia munitus Joannes Wallius Windeschemensis, Joannes Vossius Swollentis, & Henricus Ahusius Monasteriensis ad fontem salientem Collegii moderator, ad Concilium Constantiense profecti, Concilii Patribus Grabbonis aliorumque infectiones exposuere; a quibus tres illi præstantes viri honorifice excepti, & publico etiam honore ad hospitium deducti sunt. Ubi vero Wallius causam suam publice peroravit in senatu Patrum, una omnium voce Clericorum institutum mirifice dilaudatum comprobatumque fuit; id quod a Martino Pontifice publico etiam diplomate privilegiorum, qualia cætera religioforum familiæ habent, mirifice exornatum confirmatumque est. Famosus ille libellus postea Florentiæ publice coram Pontifice exustus, atque in carceres detrusus. Inde Cameracensi illi regulares, qui jam a Wilhelmo Episcopo nostro etiam in Bodecense Cœnobium traducti erant, multo latius se diffudere, & passim ab Episcopis ad formandum Clerum expeti cœpere.

Dabrāuh. 23. Caspian. Obitus Wenceslai Bohemici Reg. & tutor Hussitarum.

Ecclesias vi occupare, & Cœnobia spoliare, nec sibi Pragæ tutam esse vitam; in vicinam urbem arcem se recepit, opem Sigismundi fratris, amicorumque assidue implorans expectans. Ita vero postquam capitis & regni periculum adiit, evigilare cœpit, toties ante monitus, frustra rogatus, ut religioni consulere, & hæresin in fomite extingueret.

Cranz. l. 1. Sax. c. 8. & 9. & lib. 10. Metrop. c. 40. Meibom. in Histor. Brunsvic. anal. M. ff. Hildesh. Dreyer. in Saxen. Letznerus in Mff. Reijnerus in Stem. Hija. Spangeberg. in Chron. Mansfeld. Bellun. Dusch. Bruns. wicensis cum Joanne Hojano Ep. Hildensensi



gueret. At fero hæc agebantur, quod jam adulta hæresis dominatu prævaleret. Ac licet Rex minas & necem seditiosis intentaret; illi tamen ausi in curiam prorumpere, & septem senatores cum urbis iudice e fenestris præcipientes dare, quos lanceis exceptos ditum in modum trucidavere, cæteris consulibus civibusque fuga salutem quarentibus. Ad quod spectaculum stabat in foro Joannes Præmonstratensis sacerdos, sceleratus ordinis defector, & tuba seditiosorum; populoque sacrum Christi corpus, quod confecerat, calicemque inter nefandum facinus sanguinariis ministrabat. Audita hæc Hussitarum crudelitate, Wenceslaus Rex ira incandescens, correptusque paralyti, intra decem & octo dies expiravit, frustra Sigismundi fratris & amicorum auxilia expectando. Miserat quidem Sigismundus Imperator Rudolphum Saxoniam Ducem in Bohemiam Legatum, qui seditiosos componeret ad concordiam; at hunc cum ferro nondum aggredi auderent, clam veneno sustulerunt; Ipse deinde Imperator, dum omissa in Bohemiam expeditione, arma in Turcam movet, Bohemiam & Ungariam simul amisit. Ea cunctatione furiosus Hussitæ debacchari in Catholicos, supplicii favere in sacerdotibus & Monachos, Monasteria religiosorum ordinum sine discrimine spoliare, templa & arces occupare ceperunt. Furorem accenderat supplicium Joannis Hussi & Hieronymi Pragensis; quos quam cæco Martyrum honore celebrabant, tam insana vindictæ & hæresis conspiratione ruebant in arma.

Atrox hoc anno bellum exarsit inter Bernardum Ducem Brunswicensem, & Joannem Hojanum Hildesensem Episcopum, quem ex Paderbornensi Ecclesia ad Hildesensem transfuisse diximus. Crebra inter hos & hæreditaria diffidia, ob præreptas præstructasque ad confinia arces. Brunswicensi se in societatem armorum junxere Wilhelmus Dux Lunenburgensis, Joannes Episcopus Halberstadiensis, Henricus Dux Sleswicensis, ejusque frater Adolphus Marchio Brandeburgensis: Hildesensi Episcopo subsidio venire Otto Episcopus Monasteriensis cum Hojanis fratribus, Comes Holsteinius & Spiegelbergius, alique proceres, quos magno numero e Westphalia adduxit Monaste-

riensis Episcopus. Lite (quæ tamen non proditur) sæpe in castum per arbitros tentata, res ad arma processit, & post alternas agrorum vastationes, bis acri prælio, semel ad Osterwicum; iterum ad Gronam seu Grondam conflictum. Victus Episcopus Hildesensis: capti ultra centum militaris ordinis viri, quos inter junior Dux Saxoniam, Erici filius, Hildesensis Canonicus. Nec incruenta Brunswicensibus fuit pugna. Bellum hoc tandem Theodoricus Archiepiscopus, Administratorque noster, interpellatus arbiter, in eas, quas Crantzius indicat, leges feliciter composuit.

Et hoc anno etiam Theodoricus Archiepiscopus Paderbornam accessit; in eaque urbe, rogatu Wilhelmi de Monte, Comitis Ravensbergenis, Canonicis Regularibus Monasterii Bodecensis prisca ejus loci privilegia bonaque, quæ Imadus olim Episcopus dederat, ea qua Virgines olim Monasterium illud incolentes libertate obtinuerant, festo Conceptionis B. Virginis instauravit. Id Wilhelmus eo impensius sollicitabat apud Archiepiscopum, magnus ejus Monasterii patronus; quod ejus auctoritate & salutari opera Monasterium illud, remotis dissolutæ vitæ Virginibus, ad religiosos viros traduxisset, videretque magno Ecclesiæ Paderbornensis fructu, & illustri omnium virtutum exemplo præ cæteris efflorescere. Juvabit nunc ipsas Archiepiscopi tabulas, & cum his simul inclusas Imadi Episcopi nostri literas producere, ad prisca Episcoporum frugalitatem recognoscendam.

*Theodoricus Archiepiscopus Coloniensis, & sacri Imperii per Italiam Archicancellarius, & Administrator Ecclesiæ Paderbornensis, Universis presentia visuris salutem in Domino sempiternam. Quoniam petitio illustris Wilhelmi de Monte, Comitis de Ravensberg, affinis nostri carissimi, nobis exhibita continebat, qualiter ipse olim Electus Paderbornensis Ecclesiam in villa Bodeken Paderbornensis diocesis tunc secularem & desolatam causa reformationis ipsius & divini cultus restorationis in eadem ad Canonicos Regulares in statum sui ordinis transformandam cum omnibus juribus, immunitatibus, libertatibus, privilegiis*  
B b b 2

Prisca Monasterii Bodecensis privilegia & bona, jam ad Canonicos Regulares traducta, confirmantur a Theodorico Paderbornam invasente.

Crantzius  
l. i. Saxon.  
c. 8. & 9. &  
lib. 10. Me.  
119. c. 46.  
Melbom.  
in histor.  
Brunsvic.  
annal. M. ff  
Hildesb.  
Dresser. in  
Saxon.  
Letznerus  
in mff.  
Rejnerus  
in stem.  
Hoja,  
Spangeberg.  
in Chron.  
Manfeld.  
Bellum Du-  
cis Brunswi-  
censis  
cum Joanne  
Hojano Ep.  
Hildesensi

Dubräul.  
23.  
Caspinian.  
Obitus  
Wenceslai  
Bohemie  
Reg. & fu-  
ror Hussi-  
tæ.



Et pertinentiis suis universis Capituli Paderbornensis Ecclesie cum consensu transtulit, qui quidem Canonici Regulares dictam Ecclesiam Budicensem jam pro statu sui ordinis ex elemosinis Christi fidelium magnis laboribus et expensis in magna parte reformarunt. Et ne eosdem Canonicos et Successores eorum prerogativa libertatis, qua ipsa Ecclesia fuerat ab antiquo decorata, in posterum fraudari contingat, eadem petitio subjungebatur, ut nos auctoritate nostra ordinaria, qua in Ecclesia Paderbornensi predicta fungimur, quoddam privilegium nobis exhibitum, impresso sigillo Episcopi Paderbornensis, ut apparebat, sigillatum, et ab ipso Episcopo Paderbornensi Abbatisse et Ecclesie Budicensi predicta quondam concessum cum supplemento defectus, si quis forsan in sigilli diminutione, vel simili negligentia, seu simplicitate posset deprehendi, dignaremur confirmare, cujus quidem privilegii tenor sequitur in hac verba. In nomine sancte et individue Trinitatis. Notum sit omnibus tam futuris quam presentibus, qualiter Abbatisa de Bodiken auctoritate et laude totius Ecclesie et universae familiae per advocatum suum Henricum Comitem duas curtes, Quorsuithhusun et Laidwardeshusun, in pago Hassi sitas, sanctae Paderbornensis Ecclesie in proprium tradidit, legavit, concessit scilicet cum omnibus jure sibi pertinentibus terris, territoriis, agris cultis et incultis, aedificiis, pratis, pascuis, molis, molendinis, mancipiis, nuptis et innuptis, silvis, viis et inuis, aquis aquarumque decursibus, exitibus et redditibus, quae sitis et inquirendis. Unde Immadus Episcopus memor ejus servitii et devotionis quicquid ei de ipsa Ecclesia singulis annis erat dandum, eidem Abbatisse suisque successoribus remisit in perpetuum, praeter duo mare, quae Erpo Comes habet in beneficio, confirmata super hac re hujusmodi constitutione, ut quotiens idem Episcopus, vel Successor ejus, ad praefatum venerit locum, nullum ibi exigant servitium, prae-

ter quod Heresien. Ecclesie more tres scilicet scutella cum ferculo et tres proprietationes appormentur pro honore debito. Quod si ipse Episcopus, vel alius Successor ejus, hanc traditionem voluerit infringere, decem libras auri eidem per solvat Ecclesie; Abbatisa vero liberam habeat potestatem sua recipiendi, et quod voluerit inde faciendi. Haec sunt mancipia ad praefatas curtes pertinentia, Meynza, Besecke, Lurzo, Thiadburg, Meinza, Helmward, Rurhard, Werenburg, Eperstein. Nos igitur dignam abierimus, ut libertatis et prerogativa singularis testimonio locis divino ceteris de antea concessa temporis diurnitate non vilescant, et pius desiderii ipsius Comitis assensu nostri auctoritate quidem potestate progressus inviolabiliter perseveret effectus, privilegium supra dictum pro Monasterio et Canonicis Regularibus antedictis auctoritate nostra ordinaria, qua in Ecclesia Paderbornensi fungimur, supra dicta cum suis clausulis presentibus confirmamus, omnem, quae ex sigilli diminutione et styli, et circa datum ejus, simplicitate vel negligentia potest deprehendi, supplendo defectum. In cujus rei testimonium praesens scriptum sigilli nostri iussimus appensione muniri. Datum Paderbornae. Anno Domini Mccccxx, ipso die Conceptionis B. Mariae Virginis.

Sustulit et hic annus, xxii Septembris, Joannem Nassovium, Mogunienum Archiepiscopum ac Metropolitanum nostram, subrogatio in ejus locum Conrado Reingravio Comite, viro prae cae religionis; perinde tunc anno superiori in locum Weneri Trevirensis Archiepiscopi subiectus erat Otto Comes a Ziegenheim, integerrimus praeful, qui inter lacrymas ex praeposito ad hanc dignitatem protractus erat. Magnum hi duo Archiepiscopi Germaniae decus, et vacillantis religionis praesidium; quorum unicum geminumque studium fuit, prolapsam Cleri et Monachorum disciplinam ad praesentem severitatis formam revocare.

## Annus Christi 1420.

Martini V. Pont. 3. Sigismundi Imp. II.  
Theodorici Administ. Pad. 5.

Hareis  
Hussitarum  
promoven.

Interquiescente per hac Germania, omnem belli furorem Hussitarum Hareis contraxit in Bohemiam. Quippe

Wenceslao Rege extincto, Hussita sibi impietatis scelerumque ducem delegere Joannem Ziscam, hominem non modo

Obitus Joannis Nassovii Archiepiscopi Mogunienum in Chron. Spanhem. Henrichus in Metrop. Braxovien. lib. 19. Annot. Trev. Chron. Civitens.

Entas  
Syrus  
lib. 23  
Nate  
nor. 48.  
Raynald.  
in Histor.  
Eccles.

Sigismundus  
Catholice  
licis iuce  
suis in  
Bohemiam  
tendit.

Rex Bohemae a Conrado Westphalio Archiepiscopo Praegens coronatur. Chron. 130. Me. Hist. 6. 42. Brach. in Catal. Episc. Verd.



Entas  
Syrus in  
lib. Bohem  
Cochleus  
lib. 4.  
Dubrov.  
lib. 23.  
Nanci. ge.  
ner. 48.  
Raynald.  
in distor.  
Eccles.

modo nobili genere ortum, & a puero in aula Regis enutritum, sed & bellicis artibus praelisque exercitatum; qui collecta seditioforum hominum multitudine (quam brevi ad quadraginta armorum millia numeravit) regni dominatum arripuit, & ferro deinde flammaque per totam late Bohemiam grassatus fuit. Uti vero truculenta Hussitarum hæresi infectus erat, ita in sacras cum res tum personas furor ejus præcipue desævit; nam postquam sacerdotes Catholicos ex templis Parochiarum, Monachos ex Cœnobiis, sacras Deo Virgines ex claustris eiecisset, templa Parochiarum Hussitarum præconibus tradidit; Cœnobia vero partim flammis absumpsit, partim vasta reliquit.

Sigismundus Catholice successurus in Bohemiam tendit.

Occurrere quidem his malis potuisset Sigismundus, si vel bellicis in expeditionibus felicior, vel in ferendis laboranti Bohemiæ suppitiis promptior fuisset. Sane quod vocatus non statim Pragam, ut sperabatur, sed Vratislaviam diverterit; & desperantes de salute fecit Christianos, & obstinatos in malo schismaticos. Movit interea tandem ex Silesia in Bohemiam, hostili Gracium & Cuthnam exercitu aggressus. Auctusque deinde copiis Marchionis Misnienfis & Brandeburgensis, quibus & suas submisere Dux Saxonie & Austriae Pragam obsedit. Quo tempore a Conrado Pragensi Archiepiscopo, post festum D. Jacobi, xxx videlicet Julii, in æde Metropolitana, quæ in arce sita erat, coronam regni Bohemiæ accepit. Erat vero hic Conradus, a quo Sigismundus Rex coronatus, gente Westphalus, ortus in oppido Vechta, juris Doctor, & Catholice adhuc eo tempore sentiens; postea vero ad Hussitarum hæreses prolapsus, novæque calixtinorum sectæ, quæ calicem sub altera specie urgebat, propugnator non infimus. Theodorico Niemio in Episcopatu Verdensi subrogatum tradit Cranzius & Bruschius. Verdensi relicta, adeptus est Cathedram Olomucensem; atque ab hac demum translatus fertur ad Archiepiscopatum Pragensem; eo certe indignior hoc honore, quo, ob emptam a Prædecessore suo Alberico hanc dignitatem, perditosque mores, ineptior. Probrum enimvero gentis Westphalicæ; homo

Rex Bohemiz a Conrado Westphalo Archiepiscopo Pragensi coronatur. Cranzius. l. 10. M. 119. c. 42. Bruschius in Catal. Episc. Verd.

Obitus Joannis Naf. 1577. Archiepiscopi Moguntini. Serrarius. lib. 5. h. 1. Magoni. Testimon. in Chron. Spannum. Bruschius in Metropol. Brav. verus lib. 19. Annual. Test. Chron. Clivense.

te Joanne Ziska, in Bohemia invaleuit.

vanus, stolidus, rerum sacrarum prodigus, & necromanticis etiam artibus iutamis; ac non diu superstes, sed tertio ab hinc anno infelici morte extinctus. Bruschlus nobili genere, præfectoque Vechtenfi ortum tradit; cui successerit Conradus Sultovius Lunenburgenfis, sacrarum literarum Doctor, vir egregius, & Orator postea apud Pontificem Alberti Casaris, de quo tempore memorabitur. Quamquam, ut suspicor, multum hic vacillent facti Verdenfes, quos inter Saxonicos maxime jejunos turbatosque accepimus. Sed ad Sigismundum revertamur.

Is postquam per sex hebdomadas Pragam obsideret, soluta obsidione, rebusque improspere gestis, e Bohemia discessit. Culpæque datum, quod D. Wenceslai tumbam, ex puro auro conflata, gazamque sacram in stipendium militum converterit, pollicitus se refecto arario omnia redditurum. Tum vero Zisca, Brodam, Nymburgum, Cuthnam, Coloniam, ceterasque urbes subigere: Ecclesiasticos viros, qui sceleri suo adversabantur, per supplicia e medio tollere: thesauros Ecclesiarum rapere: militem prædis inflammare, & regnum sui juris facere, hæresique in spoliū dare.

Sigismundus obsidionem Pragæ solvit. Zisca thesauros profanaque vallat.

Quæ postquam ad Martinum Pontificem relata sunt, sacrum ille bellum hoc anno indixit, invitando sub signo crucis ad militiam. Ejus rei gratia missus in Germaniam Henricus Vinconensis e regia Anglorum stirpe Cardinalis. Cujus hortatu Theodoricus Colonienfis, Conradus Moguntinus, Otto Trevirensis, Guntherus Magdenburgenfis, Archiepiscopi, Joannes Heinsbergius Leodienfis Episcopus, alique præfules & Principes una cum Ludovico Palatino nomen sacre militiæ dederunt; quibus se multæ Imperatoris urbes junxere; ulroque Sigismundo militem ære suo scriptum obrulerunt.

Martinus Pontifex Germaniam provocans ad bellum sacrum invitavit.

Inter hæc Theodoricus Archiepiscopus Colonienfis, pro Administratores & Episcopi munere, transgressus hoc anno e Westphaliæ Ducatu in Paderbornensem dicecesin, multa utiliter ordinavit. Interque cetera sacerdotium, quod pia liberalitate patronorum conditum erat in civitate Brackelenfi; erecto

Theodoricus Episcopus, sacerdotium in oppido Brackelenfi fundatum approbat.



erecto ad id altari, in honorem SS. Trinitatis & D. Thomæ in pervigilio Ascensionis Pontificali auctoritate ratum habuit. Qua super re tabulæ extant, quibus magnopere dilaudat eorum pietatem, qui ejusmodi dotationes faciunt ad sacrificia & preces pro defunctis parentum, & majorum ani-

mis sublevandis. Ac nescio an ullum dicecisi nostræ Oppidum sit ejusmodi sacerdoti largius dotatum: aut ullum etiam postea Lutheri hæresi pertinacius inhæserit, omniaque inverterit. Tam cito degenerare per hæresin piorum parentum improbi filii.

## Annus Christi 1421.

Martini V. Pont. 4. Sigismundi Cæsaris 12.  
Theodorici Administratoris Pad. 6.

*Chron. M. Belgii.*  
*Raynald. in hist. Eccles.*  
*\* al. Blaudonem.*  
*Aeneas Sylvius.*  
*Cochlaus Nauclear. gener. 48.*  
Bohemia diversis hæresibus affligitur & turbatur.

Bohemia dehinc in extremum exitum vergente, non destitit Martinus Pontifex Germanos hortari ad expeditionem sacram maturandam. Quam in rem consequente hoc anno alterum Legatum, Cardinalem \* Brandam, misit ad Germaniæ Principes, qui cruce signatorum exercitus ad signa Sigismundi Cæsaris colligeret. Quippe Bohemia non modo armis Zisca furentis Ducis, sed etiam diversis sectis lacera- ta pessum ibat. Harum Princeps erat Thaboritarum, sic dicta ab arce, quam Zisca in alto & prærupto monte extruxerat, ac Thabor appellabat; tanquam cum tribus Apostolis illic legem novam a Christo accepisset propagandam. Altera Hussitarum secta erat Orebitarum, quæ sibi Moyfis instar legem in monte Oreb datam gloriabatur. Ea secta auctore Moravo quodam Sacerdote conflata, Græcenses vicinasque regiones multis cladibus afflicebat, crudelitate Thaboritarum detestabilior; quod catholicos Sacerdotes aut flammis cremaret, aut nudos rigente hyeme sub glacie præfocaret, aut ex sectis virilibus projiceret in cœnum. Tertia Adamitarum erat, a Picardo Gallo, homine flagitiosissimo, introducta in Bohemiam; qui postquam brevi magnam virorum & mulierum turbam contraxerat; prostrato omni pudore; nudos & promiscua libidine viventes produxit in publicum. Hanc sectam, quod ipsos Hussitas puderet, Zisca imperu facto delevit.

Emersit per hæc quarta secta Calixtinorum, quæ inter Catholicos & Hussitas mediam quandam viam ingressa, Eucharistiam non modo sub specie panis, sed & vini ex calice populo præbendam contendebat; eoque sequaces Calixtini & Pragenses appel-

lari; quod Pragæ in pseudo synodo hæc hæresis vii Junii a Conrado Westphalo approbata esset. De cætero hi sectatores præsentem Christum in Eucharistia, sex alia cum Catholicis Sacramenta, vetus & novum testamentum, Apostolicum symbolum, Nicænum concilium, & cætera primæ Ecclesiæ dogmata se recipere asserbant. Quam plausibilis hæc secta apud populum & proceres, tam composita erat ad fallendos Catholicos, tanquam in nullo præter communionem sub utraque specie dissiderent, cum tamen multa alia simul Hussitarum dogmata profiterentur. Re autem ipsa Bohemia in multas discrepantes fedasque sectas divisa erat: ut in omni hæresi compertum, postquam semel a Catholica Ecclesia descisum est.

Magno interea apparatu contrahabatur exercitus tam e superiori, quam inferiori Germania, Belgio, Hollandia, Hannonia, multæque Imperiales urbes submittebant suas cohortes; quas inter Tremonia ære suo scriptum militem expedit. Prævertent hanc expeditionem Fridericus & Wilhelmus, Misnia Marchiones, qui cum valido exercitu Bohemiam ingressi, facta ad Bruxiam congressione, duomillia Hussitarum trucidavere, captæque Bruxia, nullo sexus discrimine, sævierunt in Hussitas. Nihil his dejectus Zisca, Cuthnam expugnat; unde ad Rabi obsidionem digressus; ad quam sagitta ictu alterum quoque oculum amisit. Nec tamen Castrenses ob id labores deseruit; sed licet exinde utroque oculo captus, in prælia tamen se duci jussit, ex quibus multas etiam victorias retulit. Tanta hæresis erat pertinacia, & rabies; quæ & scæminas armavit, furiarumque instar in prælia rapuit,

*Raynald. in hist. Eccles.*  
*Monstrelet. Chron. M. Belgii.*  
*Chr. Tremon.*  
*Aeneas Sylvius.*  
*Langius in Chron.*  
*Circens. Histor.*  
*Thuring. Spangberg. Hussitarum coedes:*

Zisca labor res bellic.

Theodoricus varius  
Diececisi  
Paderb. lo-  
to diversis  
oppignora  
Ex Ms.  
Biblioth.  
P. Mauriti  
Baren.

Aeneas  
Sylvius  
Cochlaus  
Dnbraevius  
Nauclearius  
Langius in  
Chron.  
Circens.  
Chron. M.  
Belgii.  
Histor.  
Thuring.  
Chr. Colon.  
Tribem.  
in Chron.  
Cuspianus.  
Intelix Si-  
gismundi  
& proce-  
rum Impes-  
rii contra  
Hussitas  
expeditio.



rapuit, quarum multa cadavera inter caecos reperta.

Per id tempus cum Theodoricus Archiepiscopus Colonienfis, Administratorque diocesis nostrae, occupatus esset in conscribendo milite, impensisque militiae cogendis; sub initium hujus anni arcem Kruckenbergam & Oppidum Helmwardeshufen Abbati Imperialis Caenobii Helmwardeshufani, accepta certa pecuniae summa oppignoravit. Ad hunc modum castrum & oppidum Steinhemium a Theodorico pignori datum diversis diocesis nobilibus, a quibus magna pecuniae summa collecta. Multa hujusmodi ab Administratore per diocesim oppignorata, interversaque, magno diocesis Paderbornensis onere ac damno. Quae etsi tunc ad impensas belli sacri postularit; post tamen ex his causam obtendit apud Pontificem, obaram diocesim cum

Colonienfi in unum Ecclesiae corpus conjungendi.

Claudit hoc anno, morte abreptus, Lubertus Steinfurdenfis familiam suam, ex qua Balduinum Episcopum habuit Paderborna. Filia, quam reliquit unicam, Mechtildis denupta Ewerwino Comiti Benthemensi, Steinfurdensem Dynastiam conjunxit Comitatu Benthemensi. Ea mortua, Ewerwintus duxit Gisbertam Bronchorstianam, Henrici Solmenfis ex filia neptem, haeredemque; quo conjugio exinde Benthemenses & Steinfurdenfes Comites procreati. Ewerwinus, qui ex Gulterswichii Dynastis Comitatum Benthemensem connubio adeptus, vir procerus fuit & eleganti corporis habitu; nec pietate minus & religione in Deum commendatus. Quippe qui in Caenobio Frenswegenfi chorum non minus quam Canonici Regulares frequentare & Psalmos decantare in more habuit.

Luberto Steinfurdenfi Comite extincto, transit Comitatus ad Ewerwinum, ex dynastia Gutterwichii Comitem Benthemensem.

## Annus Christi 1422.

Martini V. Pont. 5. Sigismundi Imper. 13.

Theodorici Admin. Pad. 7.

Tandem sub exitu Autumni, mense Augusto & Octobri, collegere se exercitus sub vexillo crucis adversus Bohemos Hussitas; auspiciisque Sigismundi Caesaris progressi in campum Episcopi, Principes & Comites, caeterique Germaniae proceres Theodoricus Colonienfis Archiepiscopus, quem Edmundus caeterorum antesignanum dilaudat Otto Trevirensis, Guntherus Magdenburgensis, Archiepiscopi: Joannes Leodienfis Episcopus, alique sacrorum praesules; Fridericus Marchio Brandenburgensis, Ludovicus Comes Palatinus, Albertus Dux Saxoniae, Ludovicus Landgravius Hassiae, Fridericus & Wilhelmus Marchiones Miffinae, Georgius & Adolphus Principes Anhaltini, Fridericus Landgravius Thuringiae, Joannes Dux Bergensis, Henricus Comes de Schwartzenburg, Volradus & Gevehardus Comites de Mansfelt, Bedo Comes de Stalenberg; quibus ingens procerum & nobilium voluntariorum multitudo se junxit. Hi tripartito exercitu processere in Bohemiam; quorum primum conflarunt Duces Saxoniae. Alter ex Francorum populis collectus; Duce Friderico Brandenburgensi Marchione & No-

rimbergae Burgravio. Tertium duxere Theodoricus Colonienfis & Otto Trevirensis Archiepiscopi; quos Rhemani, Westphali, Boji & Suevorum nonnullae urbes sequebantur. Ingentes copiae, quae se in saltu Bohemico conjungere: at postquam ad Saltz Oppidum confedere, haeretici subitario milite, quem in agris contraxerant, tantum fortissimo Christianorum exercitui terrorem injecere, ut omnibus relictiis impedimentis, viso necdum hoste, in turpissimam fugam trepida agmina se averterent, frustra occurrente Cardinale Legato, retrahenteque ad signa; cui non aliud quoque laboris pretium fuit, quam ut turpis fugae se comitem daret. Insecuti fugientium terga Hussitae, magnam edidere stragem. Culpam infelicis successus referunt ad dissidia inter Caesarem & Principes; quod dum illi peterent retinere, quae armis quisque occupaturus esset; Caesar regnum Bohemiae distractum noluerit. Adeo de exuviis urbi, antequam captus esset, inane certamen. Ea clades 7 Januarii sub initium anni 1422 accepta proditur.

Ad quam resarciendam Sigismundus Imperator Norimbergam ordines

im

Theodorici varia diocesis Paderb. loca diversis oppignorata Ex MS. Biblioth. P. Mauritiu. Buren.

Aeneas Sylvius Cochlearius Dabravicius Nantlerus Langius in Chron. Cicerense. Chron. M. Belgii. Hist. Tauring. Chr. Colon. Tribens. in Chron. Cyprianus. Infelix Sigismundi & procerum Imperii contra Hussitas expeditio.

Raynaldus in hist. Eccles. Monfrault. Chron. M. Belgii. Chr. Trev. Aeneas Sylvius. Langius in Chron. Cicerense. Hist. Tauring. Spangenberg. Hussitarum caedes:

Zisca laboribus bellicis.



Conventus  
Norimber-  
gensis, in  
qua altera  
in Hussitas  
expeditio  
decreta.  
Sigismun-  
di filia nu-  
bit Alberto  
Austriae  
Duci.

imperii evocat. Interfuit præter cate-  
ros huic conventui Julianus Cardinalis,  
vir morum & literarum præstantia  
egregius, a Pontifice in Germaniam  
missus. Decreta tum ibi altera ad VIII  
Calend. Junii in Bohemos expeditio.  
Et Sigismundus, quo se potentissimi  
Ducis Austriae præsidio firmaret, filiam  
quam habebat unicam Elizabetham Al-  
berto Austriae Duci, quem post Ger-  
maniae Imperatorem habuit, conjugem  
dedit. Nuptiæ magna pompa Viennæ  
celebrata. Eo connubio, quia Austria  
hæreditatem Bohemiæ & Ungariæ  
adierat; post & Moraviam, quod ve-  
veno Hussitarum infecta esset, & pro-  
ceres in ea rebellionem cœperant, Al-  
berto genero Sigismundus dedit in ca-  
tholica religione continendam.

Adulta jam ætate, secunda expe-  
ditio, ut Norimbergæ inter ordines  
convenerat, facta in Bohemiam. Bello  
huic Fridericus Marchio Brandeburgi-  
cus, & Julianus Cæsarius dati Duces;  
quos sequebantur Albertus & Christo-  
phorus Bavariæ Duces, Fridericus  
Misniæ Marchio, Joannes & Albertus  
Brandeburgenses Principes, Herbipo-  
lensis, Bambergensis, Eistadensis, Epi-  
scopi; quibus Colonienfis, Mogunti-  
nus, & Trevirensis Archiepiscopi suas  
copias adjungere: præter eas, quas Al-  
bertus Dux Austriae submisit. Ex his  
exercitus quadraginta millium peditum  
conflatus; equitum paulo minor erat  
numerus. Felici aliquamdiu successu  
actum; capta oppida: spoliati incolæ;  
prostrati hostes: trucidati, nullo atatis  
sexusve habita ratione obvii. Qua in-  
solentia exacerbati Bohemi, expeditas  
legiones coegere; ad quarum adven-  
tum, seu proditione, seu prædæ inter-  
ceptæ cupiditate, seu vindicta crudeli-  
tatis exercita; rursus pavore Catho-  
licorum exercitus perculsus, hoste non-  
dum viso, in fugam se abjecit. Hærebat  
attonitus Julianus Cardinalis ad hanc  
Germanorum inconstantiam & timidi-  
tatem, tentabatque fugitivum Christia-  
norum exercitum sistere, alios hortan-  
do, alios retrahendo, alios obsecrando,  
aliis exprobrando, ne famam Germanici  
nominis tam fœda apud posteros fuga  
macularent: agi de vita, inclamabat;  
quæ in ipsa fuga magis periculosa esset:  
agi de christiana religione adversus hæ-  
reticos: agi de gentis gloria, & salute

Iteratus,  
sed denuo  
insultus,  
Catholico-  
rum cum  
Hussitis  
congressus.

totius regni Bohemici & Imperii. Quæ  
omnia casta erant; dum & ipse invitus  
raperetur in fugam. Ita bellum hoc,  
quantumvis justum & sacrum, impro-  
spere successit; haud secus quam in Pa-  
lestinae bellis toties memoratum: bar-  
baris & impiissimis etiam hostibus irato  
numine victoriam permittente, seu in  
scelerum vindictam, seu aliis ex abditis  
causis, quas vereri quam scrutari mor-  
talibus magis fas erit. Questus & Land-  
hufanus Dux Boius hæc ipsa: *Quinquies  
Bohemiam sumus ingressi: toties copiis,  
impedimentis, & omni bellico apparatu  
exuti, ac nescio, quo fato hæc per tur-  
pem fugam agantur.*

Exinde Bohemi Lituorum & Po-  
lonorum viribus adjuti; non modo sese  
regnumque Bohemiæ tutari; sed &  
crebris incursionibus Thuringiam,  
Misniam, Saxoniam, Franconiam, Bo-  
jariam infestare, & cuncta rapinis,  
flammis, & cædibus miscere cœperunt.

Per id bellum Bohemiæ quæta ali-  
quamdiu Westphalia fuit, quod magna  
pars inquietorum hominum in hanc  
expeditionem traducta. Quare Theo-  
dorico Archiepiscopo otium fuit in  
perlustranda utraque dicecesi, ordinan-  
disque sacris & civilibus rebus. Inter-  
que cætera præclare consuluit devotis  
Deo virginibus, quæ vel Coloniae, vel  
in aliis urbibus & Oppidis, se in unam  
domum & communem habitationem  
collegerant. Eæ cum ab invidis qui-  
busdam infestarentur, Theodoricus  
earum patrocinium suscepit; consultis-  
que Colonienfis Academiae viris, publi-  
co decreto liberum illis fecit commu-  
ne domicilium, in quo pudicitiam tu-  
tius custodirent, & mutuo sibi horta-  
mento essent ad pietatem ac labores.  
Quam in rem publicæ tabulæ confectæ,  
quibus per Theodoricum Archiepiscopum  
primarii Colonienfium Doctores,  
Theodoricus de Monasterio sacrae Theo-  
logiæ professor ac Regens, Henricus  
de Gorheim Theologiæ professor,  
Joannes de Werborch Decretorum  
Doctores, Simon Dopenheim Theologiæ  
professor ordinis Prædicatorum, Go-  
defridus Slusul de Moguntia ordinis  
Prædicatorum Theologiæ professor,  
Rotgerus de Tremonia Theologiæ pro-  
fessor, Christianus de Erpo legum Do-  
ctores, hanc devotarum Virginitatis so-  
cietatem

Theodori-  
cus Ep. fu-  
ciale Vir-  
ginum Deo  
devotarum  
vitam ap-  
probat.  
Ex Archi-  
episcopo  
Bodaccen-  
si.

Synodi Co-  
lonien-  
synodi Oj-  
nabr, a  
Fran-  
Wilhelmo  
Episc. edita  
Tom. XII.  
Concilio  
Parisien-  
recens. edita  
Cleinberg-  
in Chron.  
Synodus  
Colonien-  
sis, ejusque  
acta.



lem vitam approbavere, sat gnari, ejusmodi Virginitatis Collegia jam ab ævo Apostolorum viguisse, salutarique in epistola ab Ignatio Martyre, Christi discipulo.

## Annus Christi 1423.

Martini V. Pont. 6. Sigismundi Cæsaris. 14.  
Theodorici Administr. Pad. 8.

*Synodi Coloniensis. Synodi Osnabr. a Franc. Wilhelmo Episc. edita. Tom. XII. Concilio Parisien. recent. edit. Clainfor. in Coron. Synodus Colonien. sis, ejusque edit.*

At multo salubriori consilio atque opere Theodoricus Archiepiscopus, Administratorque Paderbornensis Ecclesiæ, anno hoc sequenti, Christi videlicet MCCCXXIII, die XX mensis Martii, celebrem habuit synodum; ad quam provinciales Episcopi, Leodiensis, Trajectensis, Monasteriensis, Mindensis, Osnabrugensis invitati, aut per se, aut per Legatos ac nuncios suos, una cum cœtu præfulum & Clero, Colonien. sis diocesis, copiosa, ut acta referunt, multitudine, convenere. Ea vero in synodo, præside Archiepiscopo, multis decretis disciplina Ecclesiastica redintegrata; cum primis Clericorum libido quod id vitium, sæculo illo late pateret, refrenata: severisque poenis sancitum, ne quis Clericus aut Parochus domi concubinam aut suspectam sceminam aleret. Libertas quoque Ecclesiastica rursus vindicata adversus iniqua jura, aut secularium hominum statuta, quibus vetitum erat, ne quis Prælati Ecclesiæ aut Clericis quicquam venderet, aut ab eis frumentum, vinum aliaque emeret: ne in exequiis anniversariis defunctorum oblationes a populo fierent; quod plebiscitum, uti a Paderbornensibus obtrusum aliquando diximus; ita Colonien. ses quoque ausi sunt pervertare, & clero velle leges præscribere.

Multa præterea in hac celebri synodo laudabiliter statuta sunt; eoque dignam censuere, quam inter acta, publica conciliorum referrent Parisiensis. Demum, quod hic minime prætermittendum est, damnata est in hac synodo Patrum & Præfulum sententia Hussitarum hæresis; vetitumque severe, ne quis ejus sectæ homines, aut hospites susciperet, aut eorum libros distraheret legeretve. Quam in rem publica etiam jejunia ac preces populo indictæ fuere.

Ejusmodi synodus per id tempus Moguntia a Conrado, & Treviris ab

Orone Archiepiscopo celebrata; tum ad Cleri populique mores instaurandos, tum ad Hussitarum hæreses præstruendas, ne ex vicina Bohemia in Germaniam profeminarentur: De Trevitensi luculenter Browerus: de Moguntina Serrarius egit; in quibus severis hujusmodi poenis animadversum in eos, quotquot Hussitarum hæresin aut patrocinio susciperent, aut per commercia tractarent. Jam ante synodus in hanc rem a Salisburgensi Archiepiscopo celebrata erat, in qua severis poenis actum in eos, qui Hussitarum sectas foverent, eoque Ratisbonæ Sacerdos, qui in eandem hæresin relapsus fuerat, palam execratus & feralibus flammis exustus. Tanta tum severitate proserpens hæresis ab Episcopis proculcata, ne qua labe Germaniam inficeret. Idque potissimum Martini Pontificis vigilantia & studio factum, a quo ejusmodi synodi in hanc rem Archiepiscopis per Germaniam imperata; quod præclare intelligeret sapientissimus Pontifex, nullum virus peste & hæresi per contagia populorum nocentius incautiusque diffundi.

Sacras hæc Theodorici Archiepiscopi curas exceperere civiles ex morte Raynaldi Juliae & Geldriae Ducis. Nam postquam hic XXIII Junii excesserat e vita, Geldrenses sibi delegere Arnoldum Egmundanum Comitem, jure etiam in posteros translato. At Juliae Ducatum Adolphus Montium Dux pro Ruperto filio suo impetravit (idque studio & opera Theodorici Archiepiscopi factum tradit Tritemius) quem & Sigismundus Cæsar publico diplomate Budæ consignato Juliae & Geldriae Ducem confirmavit. Ac Theodoricus Archiepiscopus, quo sibi arctius Montium Ducem beneficiis devinciret, egit, ut Ruperto Adolphi filio vidua Rainaldi Geldriae Ducis in matrimonium collocaretur; quemadmodum jam ante neptem suam Wilhelmum Comiti Ravensbergeni, Adolphi

*Browerus. lib. 19. Annal. Trevir. in Serrar. in Mogunt. Raynald. in Hist. Eccles. Aliae Diocelanae Synodi hoc tempore celebratae.*

*Tritem. in Chron. Spanheim. Chron. M. Belgii. Teschemacher Obitus Rainaldi Juliae & Geldriae Ducis, cui sufficitur Rupertus Adolphi Montium Ducis filius*

Ccc

phi



phi Ducis fratri, ut diximus, conjugem dederat.

Wilhelmus. Heida in Histor. Ultraject. Variorum sollicitationes pro Episcopatu Ultrajectensi.

Aliis mox curis involutus Theodoricus, ex morte Friderici Ultrajectensis provincialis sui Episcopi, VII. Idus Octobris sublatus. Vacua sede, mirum quod eum prelarint Episcopatum. Inter hos Theodoricus Coloniensis Archiepiscopus sollicitavit pro Walramo fratre: egit pro Aquisano Præposito ex familia Burana Leodiensis Episcopus; obtulit Otto Monasteriensis Episcopus Albertum fratrem suum Hojanum Comitem, quem post habuit Mindensis Ecclesia Episcopum: contendit Adolphus Dux Montium pro Gerhardo Clivensi, Dux Clivensis pro Rudolpho Diepholdio Præposito Osna-brugensi & Canonico Coloniensi. Postquam ad suffragia itum, alii Rudolphum Diepholdium, alii Suederum Culenbergium, Trajectensem Præpositum elegere. At cum postea Martinus Pontifex, rejecta utriusque electione, Spirensi Episcopo Ultrajectensem Ecclesiam deferret, & ille Suedero Culenbergio jus suum cederet, scissa est Ecclesia factione Diepholdii &

Culenbergii, prævalente demum Culenbergio. Excidit tum magna spe Theodoricus Archiepiscopus extollendi familiam; quem haud multo post benignior fortuna amplexa: utrumque enim fratrem, Henricum & Walramum, ordine ad Monasteriensem Episcopatum provexit.

Per hæc Sigismundus Cæsar, postquam Albertum Ducem Austriæ generum fecerat, & Fridericum Burgravium Norimbergensem, ob præclara merita, Marchionem Brandenburgicum ac septemvirum Imperii crearat; hoc deinde anno post mortem Rudolphi & Alberti Ducum Saxonie, Fridericum Misnie & Thuringie Marchionem Saxonie Ducem & septemvirum dixit frustra obtinente Erico Lawenburgico inferioris Saxonie, Angarie & Westphalie Duce; quod eam dignitatem hereditario jure successione sibi debere contenderet; quippe quæ post exitum Henricum Leonem hæcenus in sua familia constiterat. Ita vero utraque septemviralis dignitas a Sigismundo Cæsare ad hanc Saxoniam & Brandenburgicorum familiam translata est.

Cranz. lib. 11. Saxo. c. 10. Trithem. in Chron. Spandim. Spang. in Chron. Manfeld. Chr. Saxo. Langus in Chron. Cisterci. Cyprian. in Sigism. Sigismundus Fridericum Misnie & Thuringie Marchionem Saxonie Ducem & septemvirum creavit.

### Annus Christi 1424.

Martini V. Pont. 7. Sigismundi Cæsar. 15.

Theodorici Admin. Pad. 9.

Annus Sylvius. Nauclyrus Theobald. in histor. Hussitar. c. 10. Raynald. in histor. Breles. Sigismundus dux gubert nationem regni Bohemice. Zilca offert.

At Cæsar, licet Alberti generi & utriusque Electoris a se creati potentia confirmatus esset, multique etiam Principes auxilia offerrent, & Episcopi populum ad sacrum bellum invitarent; prætereaque Pontifex Regem Poloniae, Sueciae, & Daniae hortatus esset ad arma contra Bohemos repetenda; Ziscam tamen Bohemorum Ducem bello aggredi ausus non fuit. Adeo, cæcus licet, Zisca formidabilem se fecerat: Igitur tanquam ex desperatis ad alia consilia conversus, ut Ziscam in suas partes traderet, totius regni gubernationem illi nomine suo obtulit; id quod Cæsari & Germanico nomini indecorum erat. Sed & illa Zisca aspernatus; qui Sigismundo Lituaniae Principi Bohemiae regnum detulerat, ejusque oblati præfidiis multo insolentior erat.

los bellicosus, terram Ducis Barrensis sollicitatus a Jolanta conjugem, filia Barrensis Comitis, hostilibus armis ingressus, multa sollicitate gessit, ipsamque pene totum Barri Ducatum subegit. At dum nocte quadam introrsus in Coenobium cum sacra Deo Virginitas inter saltus amplexusque transigit, obrutus captusque a Duce Lotharingia, Nanceum in custodiam abripitur; in qua per annum detentus, liberatur tandem insigni Ruperti filii caritate. Is Nanceum profectus, lytro persoluto, patrem e carcere eduxit, simul omne jus in Ducatum Barri abjurando. Tanti unius noctis voluptas stetit, dignisque hæc poena, censerit Adolphus potuit, qui Wilhelmum patrem captivum quondam traxerat.

Adolphus Dux Montium Ducatum Barrensem hostiliter ingressus captus. Chron. Col. Teschemach par. 2. p. 258 c. 219.

Per id tempus Adolphus Dux Montium, vir ea tempestate inter Westph-

Sed & grave bellum hoc anno inter Adolphum Clivensem Ducem & Gerhardum fratrem exardere cepit. Pöcebat nimirum Gerhardus Marchiam

Simon Comes Lippensis Wilhelmum de Monte tuorem sui Comitatus deligit.

Bellum Adolphum Clivensem Ducem inter & Ger-



ardum fratrem eius ob Comitatum Marchie.

chiam ab Adolpho fratre; quam cum negaret Adolphus, quod communi ordinum consensu anno 1418 Marchie & Clivie conjunctio facta esset sub unius Ducis Clivie imperio, Gerhardus ad Theodorici Archiepiscopi patrocinium confugit, fœdusque cum illo init; & quo prouorem haberet, Cæsaris insulam cum castro & telonio 10000 aureorum millibus Theodorico Archiepiscopo vendit: parte ejus summæ præsentis pecunia numerata; pro altera parte Zonsio, Linna & Ordinga Oppidis ex Capituli assensu Gerardo oppignoratis. Iniquissime id tulit Adolphus Dux, eoque ad Sigismundum Cæsarem appellavit; a quo Ludovicus Palatinus Elector arbiter litis componendæ datus. Ac multa quidem ille transegit; quæ tamen omnia mox interuersa fuere, lite quotannis ad arma resuscitata.

Chron. Tremon. Chr. Colon. Tschernach Causa diffidii inter Theodorici com Archiep. Colon. & Adolphum Ducem Clivensem.

Et Colonienfis Archiepiscopus, quo partes suas firmiores redderet, fœdus hoc anno contraxit cum Tremoniensibus aduersus Adolphum Clivie Ducem (quod multis exponit chronici Tremoniensis scriptor) quibus & Sufatenses se accommodare iussit Archiepiscopus. Jam ante privata simulas inter Coloniensem & Adolphum Clivensem intercesserat (quibus provocatus Gerhards partes suscepit) Berckam nimirum & alia quædam Oppida oppignorarat Adolpho Clivensi; interque pacta erat, ut Colonienfis veteris monete aureos redderet Clivensi, quos cum ex ea moneta Archiepiscopus repræsentare non posset, æqualis pretii aureos obrulit, recusante Clivensi. Igitur ad Clivensem opprimendum consilia bellique apparatus convertit; sollicitatque in fœdus multi Episcopi, Principes & Comites, qui in societatem armorum venere ut anno proximo referetur.

Simon Comes Lippienfis Wilhelmum de Monte Comitem Ravensbergensem, ante hac Antistitem nostrum, delegit tutorem ac defensorem sui Comitatus: potestatemque illi fecit nominandi e nobilitate sua præfectum, cujus opera & consilio, sicuti res poscat, uteretur in tuendo Comitatu suo aduersus incur-

Eodem hoc tempore, tanquam ex provisa Westphalie procella, Simon Comes Lippienfis Wilhelmum de Monte Comitem Ravensbergensem, ante hac Antistitem nostrum, delegit tutorem ac defensorem sui Comitatus: potestatemque illi fecit nominandi e nobilitate sua præfectum, cujus opera & consilio, sicuti res poscat, uteretur in tuendo Comitatu suo aduersus incur-

fantium hostium injurias; quæ litera festo D. Thomæ Apostoli ab ipso Simone Comite sunt consignata. Tantæ tum potentie & auctoritatis erat Montium Ducum familia ex fœdere cum Colonienfi Archiepiscopo & Paderbornensi Administratore, cæterisque federatis, penes quos tum totius Westphalie dominatus erat.

Auctor est Kerfenbrochius in fastis Episcoporum nostrorum, hoc anno demum Theodoricum Archiepiscopum pro Administratoris dignitate ac munere Paderbornam solemniter inaugurationis ritu ingressum esse, & pro more magna omnium ordinum gratulatione splendoreque exceptum; sed eo die tantam aeris tempestatem inter continua fulgura, collisatum nubium tonitrua, & fulminum ictus exortam, quæ & summa templi culmina dejecerit, & urbem totam maximo omnium terrore concusserit; qualia jam ante prodigia supra a nobis commemorata sunt ad hujus Administratoris facta accessusque in diocesin; tanquam hæc cœlestia signa essent & prodigia bellorum, quibus Westphalia eo Archiepiscopo postea concussa fuit. Certo hoc anno Theodoricum Paderbornam venisse docent publicæ tabulæ, festo D. Elizabethæ obsignatæ, quibus ex consilio consensuque Præpositi, Decani, ceterorumque Canonicorum Delbrugenfis antiqua privilegia juraque instaurat. Quamquam hæc ad antiqua simul onera & obsequia adstringantur; qualia sunt, ut quilibet Delbrugenfis Satrapie villicus Episcopo Paderbornensi Majalem & Autumnalem pecuniam, annum frumentum, faginatam porcum duo plaustra ligni, & tres gallinas quot annis pendat (quæ media ex parte a partiaris colonis exiguntur) & quæ hujusmodi ex funere villici, aut in ingressu ad villam antiquitus ex Westphalico agrorum servicio præscripta fuere. Demum obligatur quilibet villicus Episcopi militiam castraque sequi. Mulctæ vero, quæ exigitur, pars Episcopo, pars communitati cedat. Onera hæc, quæ ab illis inter privilegia reputantur, quod a præfectis ultro intendi nollent, quorum avaritia & imperandi licentia miseri ex uno onere sæpe trahuntur in aliud, & quæ precario femel iterumque a voluntariis obtinent, ea mox perpetua

Inauguratio Theodorici Administratoris Pad.

Theodorici privilegia Delbrugenfis confirmat.



petua servantur lege, contraque jus fasque præscribunt; quibus artibus nihil nobilitati frequentius, ut ex ingenuis colonis mancipia faciant.

Et Marti-  
nus Ponti-  
fex Corbe-  
jenfis.

Illustrius est diploma Martini V. Pontificis, quo vetera Corbeiensium privilegia renovat, cum nescio, quid Theodoricus Archiepiscopus, nosterque Administrator, libertati atque exemptioni eorum derogare tentaret; videturque Pontifex hac in diplomate tam assertis verbis Cœnobii illius supremam gubernationem ad Romanam Ecclesiam referre, ut omnè de ipsius subiectione dubium eximi possit: tamen Martinus IV diplomate supra relato ad annum 1283 profiteatur, Corbeiensè Monasterium Paderbornensis diœcesis nullo modo ad Romanam Ecclesiam pertinere. Quippe Pontifices ut informabantur, aut res poscebant, nunc sibi supremam curam sumebant, nunc Episcopo Paderbornensi intra ejus diœcesin permittebant. Diploma vero Martini V hoc est.

*Martinus Episcopus Servus servorum Dei, Dilectis filiis Abbati & conventui Monasterii Corbeiensis Romanæ Ecclesiæ immediate subiecti, ordinis S. Benedicti, Paderbornensis Diœcesis, salutem & Apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur, quod justum est & honestum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducat effectum. Eapropter Dilecti in Domino filii, vestris justis precibus grato concurrentes assensu, omnes libertates & immunitates, a prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, sive per privilegia, vel alias indulgentias vobis & Monasterio vestro prædicto concessas, nec non libertates & exemptiones secularium exactionum a Regibus, Principibus, vel aliis Christi fidelibus rationabiliter vobis & eidem Monasterio indultas, sicut eas juste & pacifice obtinetis, vobis & per vos præfato Monasterio auctoritate Apostolica confirmamus, & presentis scripti patrocinio communitimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis & communitationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei & BB. Petri & Pauli*

*Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Mariam majorem, 8. Idus Novembris, Pontificatus nostri anno septimo.*

Abbas vero Corbeiensium per id tempus erat Mauritius Spiegelbergius, quem ab anno Mcccxxix Theodorico subrogatum docent multa exinde Corbeiensium scriptorum monumenta.

Annus hic præterea fatalis fuit Ottoni Hojano, Monasteriensi Episcopo, Administratorique Osnabrugensis Ecclesiæ; quem quarto Nonas Octobris, festo D. Francisci Bevergernæ in arce è vita abiisse fasti eorum tradunt, gesto in xxxiii Monasteriensi Episcopatu, Osnabrugensi in xx annum. Viscera Bevergernæ in æde sacra condita sunt; corpus inde Monasterium transvectum, & a Clero honorifice in Basilica ad aram D. Pauli humatum. Crantzius optimum, & multis victoriis celebrem Pontificem appellat. Nam quæ bella gesserit, jam supra magnam partem narrata sunt. Cætera quæ per otium pacis gessit, haud minus admiranda in dissolvendis Ecclesiæ debitis; quippe qui officium in Bucholtz mille & octingentis marcis, judicium Gograviatus in Sandivelle mille florénis, Embslandiam duobus millibus & quadringentis florénis, officium in Reynæ Oppido mille marcis, arcem Sassenbergam quinque millibus & ducentis florénis, judicium Oppidi Bechemii ducentis florénis, judicium in Alenæ Oppido trecentis aureis, judicium Gograviatus in Sendhorst ducentis marcis, Arcem Dulmanensem mille & quadringentis florénis redemit. Longum cætera ex œconomia ejus studio profequi, Horstmariam, Ottenstenium, Ahusum, Mepenam, Vechtam, Cloppenburgum ædificiis & munimentis magnifice exornavit. Hunc in modum diœcesin Osnabrugensis omni are liberata, arceaque Vôrda, Witlagia, Groneberga, ceteraque magnis impensis pristino splendori munitionique reddita. Haud facile visus Episcopus, qui augendo exornandoque patrimonio Ecclesiæ omnes opes impensasque insumperit, aut diœcesin acquisitis possessionibus, castris, & Satrapiis locupletius auxerit, sicuti hæc supra relata sunt. Capax ingenio Princeps, qui utriusque Episcopa-

Chron.  
Monast.  
Err. voin.  
in Chron.  
Osnabrug.  
Kerfendr.  
Crantz. in  
Mctrop.  
L. II. c. 30.  
Motti Ono-  
nis Hojani,  
Monast. &  
Osnabrug.  
Episcopi,  
ejusdemq;  
gesta.

Agitur de  
Successore  
in Episco-  
pato Mo-  
naster. el-  
gendo.

tui



tui regendo par fuit. Unum vitio datum a quibusdam, quod in solemnioribus per annum festis diebus raro in Basilica visus sit pontificali habitu. Hinc & Crantzius bellis gerendis, quam Ecclesiasticis rebus tractandis, aptiorem censuit: sed enim ejusmodi tum Episcopum divina dicendum providentia obtigisse; qui bellica manu dicecesin servaret; cum in ea incidisset tempora, quibus, sine sago apparentibus Episcopis, ne ullum quidem pradium Ecclesiis superfuturum fuisset. Et mirari subit, quando ejusmodi sincerissimos Episcopos in Ecclesiarum suarum patrimoniis conservandis augendisque, plus quam ullum politicum Principem in familia sua amplianda, intentos occupatosque aspicio; quæ tam prodige potestæ hæresis, aut qui hæresi se permittere, Episcopi absumpserunt. Primi Episcopi liberalitate & donatione piorum hominum, medii temporis frugalitate & industria, postremi armis & hostium spoliis in tantas opes & potentiam patrimonia Ecclesiarum suarum extulere; ex quorum numero Monasteriensis cum primis nobilissimus Saxoniæ Episcopatus eminet. Venerat paulo ante obitum in suspicionem Ottonis, tantquam magnos thesauros reconditos haberet. Quo cognito, jussit tres e Capitulo & consilio ad se venire, scrutarique arcas omnes; nihilque præter bis mille & sexentæ marcæ sunt repertæ, quas ad altare Bevergernæ in Oppido dotandum, & annuam sui memoriam in Cathedrali Ecclesia perendam ex testamento sepelierat.

Agitur de  
Successore  
in Episcopo  
paru Mos-  
naster. eli-  
gendo.

Consepulto Ottonis, Canonici eodem mense Octobri comitia accelerare, diemque subrogandi Episcopi indicere in pervigilio omnium Sanctorum. Quæ ubi ad Theodoricum Morsanum Coloniensem Archiepiscopum relata fuere, nihil ille sollicitius habuit, quam ut Henricum fratrem suum ad Episcopatum Monasteriensem proveheret; hunc Canonorum suffragiis commendare, pro hoc omni subsidium & patrocinium Monasteriensi dicecesi offerre, multa ex Metropolitanæ gratia spondere singulis; quæ tanto pronius audiebantur a Monasteriensibus Canonicis, quò Theodoricus majori erat auctoritate apud Cæsarem & Electores, quoque potentius ex Archiepiscopatu

Colonienfi, Ducatu Westphaliæ, & Paderbornensi dicecesi immineret, hostis aut amicus futurus; contra Magistratus civesque urbis Monasteriensis sollicitarunt apud Canonicos pro Henrico Comite Nassovio Præposito Cathedralis Ecclesiæ deligendo, cui jam perfectio studii fidem addixerant. Postquam igitur constituto die itum in suffragia, quatuor tantummodo Canonorum suffragationibus delectus est Nassovius: Cæteri una consensione Henricum Morsanum Archiepiscopi fratrem dixerunt Episcopum, virum in Clero Colonienfi probatum, magnæque prudentiæ; & a Crantzio majori etiam dignitatis gradu dignum æstimatum bellica adhuc fortitudine Ottoni Hojano (quod tum maxime quærebatur in Successore) haud impari futurum, si modo tam benigna fortuna uti licuisset. Ac ne ipsa electio, quæ ex conspiratione urbis cum Nassovio adhuc turbabatur, in publicum diffidium abiret, uterque ad Martinum Pontificem appellavit.

Osnabrugenses, mortuo Ottonis, v. Calend. Novembris delegere concordibus suffragiis Joannem Diepholdium Conradi Comitis filium ætate quidem juvenem, sed corpore & morum elegantia præclarum, multisque naturæ dotibus supra claritudinem generis exornatum. Hunc Osnabrugensium Episcopum Crantzius in Metropoli, uti & proximos ab illo, Ottonem & Henricum, prætermisit, factò ad Conradum Diepholdium, qui hos secutus, transitu. Intolens in creatione hujus Episcopi factum intervenit Osnabrugensium; nam dum peracta electione Canonici Episcopum deducunt ad aram chori, hymnumque Ambrosianum decantant, proconsul Mollius, facta civium concitatione, armatus Basilicam obfidet; clausisque omnibus circum ostiis, denunciat electo Episcopo, multa ab antecessoribus urbis privilegia esse interversa, interque hæc bona intestatorum, & eorum, qui inconcesso toro nati sunt, rapta esse ad Fiscum Episcopi; quare non prius quinquam e templo dimitendum, quam hæc stipulata manu spondeant reddituros. Episcopus in has angustias conjectus, inito cum Conrado patre, qui aderat, & Canonicis consilio, postularis annuit. Quibus delinitus populus, vicissim urbis telo-

Canonicis  
quibusdam  
eligentibus  
Henricum  
Nassovium  
quibusdam  
Henricum  
Morsanum  
civitas tur-  
bas ciet.

Joannes  
Diephol-  
dius delig-  
tur Episco-  
pas Osnab.



telonium, tot litium scopulum, permisit Episcopo. At his non acquievit Theodoricus Colonienſis Archiepiſcopus, loci Metropolitanus, ſed cognito facinore, urbem ſacrorum interdicto ſubjecit; quam tamen penam Joannes

Episcopus, postquam a Martino Pontifice confirmationem impetravit, ultro ſecundum Pontificis voluntatem urbi remiſit, civesque in gratiam recepit, ratus fatius eſſe pacem colere, quam inſolentem urbem irritare.

## Annus Christi 1425.

Martini V. Pont. 8. Sigismundi Caſar. 16.  
Theodorici Adminiſt. Pad. 10.

Anno dehinc proximo, poſtquam cum urbe Monasterienſi compoſitum eſt; eaque, quæ importune ab Electo perebantur, tranſacta ſunt, ſolemni tandem inaugurationis ritu pompaque Henricus in urbem introducitur: fuit hæc inaugurationis, ingreſſusque in urbem, ad civium motus & inſolentiam continendam, longe quam ſuperiorum Episcoporum celebrior, majorique quam unquam ante apparatu illuſtrior. Deduxere enim Episcopum Theodoricus Colonienſis, Trevirenſis, & Bremenſis Archiepiſcopi; multi præterea Episcopi, Duces, Comites, ac Weſtphaliæ proceres, quibus ſe patriæ nobilitas ordoque equeſtris cum præeunte Clero conjunxit. Qua majestate perſtricta territaque urbs ad Episcopi ſui obsequium ſe prona ſubmiſit.

Extulit hæc fratris electa poſſeſſioque nobiliſſimi Episcopatus magnopere potentiam Theodorici Colonienſis Archiepiſcopi; viſusque is ſenſim dominatum totius Weſtphaliæ complecti; quippe qui præter Colonienſem Archiepiſcopatum Ducatumque Weſtphaliæ Paderbornenſem diceceſin ex Adminiſtratoris munere, Monasterienſem vero ex fraterno auxilio ſibi conjunxerat, inde majora ſemper ſpirare auſus.

Bellum proinde, quod ſupra aſſeſſatum diximus, inter duos fratres, Adolphum Cliviæ Ducem, & Gerhardum, id hoc anno plena flamma erupit. Fax & tuba Theodoricus Colonienſis Archiepiſcopus, eo nimirum conſilio, ut Gerhardum Clivenſem Marchiæ Comitem imponeret, abſtractaque Marchia, Adolphi Clivenſis potentiam infringeret. Ejus igitur auctoritate auſpiciisque in ſocieratem armorum attracti Moguntinus, Trevirenſis, Her-

bipolenſis, Leodiienſis Episcopi: Dux Saxoniam, Lotharingiam, Lunenburgi & Montium: Comes Naſſovius, Catzenlenbocus, Sawerdanus, Lichtenbergienſis, Werdenſis, Lichtenburgicus, Virneburgicus, Völmenſtenius, Heinsbergenſis, Schauenburgienſis, Ravensbergenſis, aut ſuas copias ſubmiſere, aut militando præſentes ingentem conſlavere exercitum, quem Colonienſis & Gerhardus Clivenſis in Marchiam introducere. Ex adverſo Marchiæ latere acceſſit Henricus Monasterienſis Episcopus Theodorici frater, Comes Teclenburgicus, Joannes & Otto Hohenſiani Comites; quibus cum Monasterienſis Luppianus tranſgreſſus, territorium Dinslacenſe ſpoliis & incendiis exhaustum. Nec aliud ceteris negotium fuit, quam partitis agminibus totam Marchiam percurrere, omniaque late prædis flammisque vaſtare. Ea hoſtili incurſatione, quam ad hunc annum referre libet, ſupra viginti ſex Oppida & pagi Marcanorum; qui nominatim a Kerchoradio recensentur, uno incendiis furoris in fumos abiire, prædis ſinguli expleti in provincias ſuas rediere. Eatum adhuc tumultuorum bellorum, Sigismundo Caſare, libertas erat. His territi Tremonienſes, neglecto, quod prius cum Adolpho Clivenſi Duce percuſſerant, ſædus multis conditionibus cum Gerardo fratre ejus iniere, quod hunc jam omnes Comitem Marcanum ſalutarent. Impar tot hoſtibus Clivenſis, poſtquam per Ludovicum Palatinum, quem Sigismundus Caſar arbitrum dederat, nihil tranſigi potuit, ad Martinum Pontificem appellavit, a quo Cameracenſis Episcopus datus eſt arbiter, ſed nec illo arbitro res conſici potuit, lite & bello in decimum ab hinc annum protracto, Gerardoque interim Marchiam obruente.

Annus

*Kerſenbr. in chron. Cbr. Colon. Crantz. Henrici Morſani Ep. ſolenſis in urbem Monaster. ingreſſus. NB. Alii ad ſequentem annum hæc referunt.*

*Chron. Moſnaſ. Chron. Tremon. Kerſenbr. Strangfol. ex Kerck. horde. Bellum & irruptio in Marchiam, agente Theodori eo, promoveatur.*

*Bellum Friliſcum, ab Archiep. Bremenſi ceterisque conſederatis inſolentibus ſuſceptum. Erron. in Chron. Oſnabr. Chron. Moſnaſ. Kerſenbr. in Episc. Moſnaſ. Chron. 1425. Metrop. 31. Chron. Sclavoniam. Hamelmann. in chron. Oldenburg. 7. 2. Ubb. Emmen. lib. 20.*



## Annus Christi 1426.

Martini V. Pont. 9. Sigismundi Cæsar. 17.  
Theodorici Admin. Pad. 11.

Bellum exinde adversus Frifones anno hoc fequenti fufficit, quod multorum Epifcoporum & Comitum confpiratione Scriptores noſtri celebre fecere. Incentor belli hujus Focco, homo, ut Hammelmannus ſcribit, obſcuro loco natus, quippe aditui filius, ſed ingenio manique ad omnia expedito; ideo ab Occone Frifonum Capitaneo primum ſcriba, deinde præfectus omnium poſſeſſionum conſtitutus, ut oppida, caſtra, bonaque vidua hæredibusque ſervaret; quæ ille, extincto Occone, contra juratam fidem occupavit: indeque popularibus ſtudiis exceptus, dominatum Auricæ in Friſia Orientali arripuit. Quo tam felici rerum ſucceſſu elatus, multis injuriis, ſæcra profanaque turbando, affecit Bremenfem diceceſin, eaſque Friſiæ regiones, per quas late ſe exporrigit juridiçtio Epifcopi Monafterienſis. Igitur ad Poccoonis Frifonumque inſolentiam comprimendam induere arma Nicolaus Bremeniſis Archiepiſcopus, & Henricus Monafterienſis Epifcopus: tractique ab his in ſocietatem belli Theodoricus Coloniensis Archiepiſcopus, Onabrugiſis & Hildeſienſis Epifcopi, Conradus Comes Diepholdius, Joannes Comes Ritbergenſis, Theodoricus Oldenburgicus, Otto Comes Teclenburgicus, duo Hojani Comites Otto & Joannes, multique proceres & nobiles. Ab his ingens equitum peditumque multitudo conſtata, qua Friſiam ingreſſi, Duce Bremeniſum Archiepiſcopo, delatque ad Dexteram vicum. Ibi Focco cum Frifonum copiis hoſtes in anguſto inter paludes & foſſas tranſitu adortus, turbatis ordinibus, diſjecit in fugam; cumque nec acies deinde explicati, nec medii poſtremique primis ſubvenire poſſent, audacius inſtare Focco, & magnam ſtragem edere cepit. Cæſi Ritbergenſis & Diepholdius Comites, captus Archiepiſcopus Nicolaus, & cum eo Hojani Comites: Oldenburgicus, Teclenburgicus, cæterique per paludes fuga elapſi. Clades hæc a Scriptoribus noſtris ex vulgi, ut ſit, fama immenſum augetur, tanquam ſeptem terrarum dominiſſie perierint.

Ubbo Emmius quinque millium cæſorum numerum, captivorum vero ter millium facit; ſed is auctor, uti omnia ad ſcribendi elegantiam, ita pleraque ad gentis ſuæ gloriam retulit. Nihil vero Crantzius, cæterique de numero cæſorum. Epifcopus certe, præter Bremeniſem, pugna nullus interfuit; copias tamen ſuas ſubmiſiſſe Theodoricum Archiepiſcopum fratri ſuo Henrico tradit auctor Chronici Tremonienſis: quales ab Onabrugiſis & Hildeſienſis Epifcopis ſubmiſſas fuiſſe tradit Ertwinus. Focco hæc victoria Friſiæ Capitaneum ſe fecit; quocum & Monafterienſis Epifcopus reconciliatus, ſociale belli fœdus contraxit. Multis ejus gentis primoribus confirmatum; adeoque opibus & potentia eſt auctus Focco, ut filia ejus in matrimonium ſit expetita ab Urico, Orientalis Friſiæ Dynaſta.

Nihil interea omiſit Martinus Pontifex, ut Bohemiam ad veterem religionis regnum ſtatim revocaret. Quapropter literis ſuperiori anno ſcriptis Moguntinum, Coloniensem & Trevirentem Archiepiſcopos ad bellum reſumendum eſt cohortatus. Addidit alias hoc anno ad Moguntinum, Trevirentem, Coloniensem, Saltzburgenſem, Magdenburgenſem, Bremeniſem, Strigoniensem, & Geſnienſem Archiepiſcopos: ad Friſingeniſem, Bambergenſem, Pataviſem, Olmuſenſem, Cracoviſem Epifcopos; demum ad Sigismundum Cæſarem, ceterosque Germaniæ Electores, ac Principes, quibus ſignificat ſe in Conradum Weſtphalum Pragenſem Archiepiſcopum ob hæreſes quasdam Huſſitarum, quas palam in pſeudofynodo profeſſus fuerat, anathematis ſententia animadvertiſſe, omni que dignitatis gradu bonisque exuiſſe. Quare ex Apoſtolice ſedis ſententia palam id denunciari, Archiepiſcopum vero hæreticum capi & in cuſtodiam trahi imperat. Hujus vero Conradi Archiepiſcopi hæreſis, qua Bohemiam conturbat, hæc potiffimum erat; Euchariftiam ſub utraque ſpecie populo neceſſitate ſalutis præbendam eſſe, quam poſt cenam veſperi confici debere dicebat,

Raynald, in hiſtor. Eccleſ. Pontifex laborat pro Bohemia in priſtinum ſtatum & religioſem reſtituenda.

Conradus Weſtphalum Archiepiſcopum Pragenſem excomunicat.



cebat, omnibusque etiam non jejunis liberam faciebat. Aliis mox Pontifex literis ad eodem Archiepiscopos datis hanc eandem hæresin in Concilio Constantiensi a se quoque damnatam significat, adductis in hanc rem, quæ in concilio a Patribus decreta fuere.

Cochlaus  
lib. 5. Histor.  
Huffit.  
Aeneas  
Sylvius  
Cochlaus  
lib. 5.  
Fabricius  
Spangeb.  
Luticix Sa  
xonum  
Bohe  
mis pugna:

Ac ne hæresis illa, auctoritate Conradi Episcopi, & specie sua multum plausibilis, Saxoniam Germaniamque populum in errorem traheret, jubet literas suas cum omnibus provincialibus Episcopis communicari, populumque in veteri percipiendæ Eucharistiæ consuetudine continere. Primæ hæ Pontificis literæ IV Nonas Januarii, alteræ Calend. Julii Romæ fuerunt datæ. Quamquam haud multum superstes Conradus Archiepiscopus, miserabili morte, ut Cochlaus scribit, vitam clausit.

Bohemorum hæreticorum turror & factio.

Acri interim bello cum Huffitis ad Anscham decertatum; quam urbem ad Albis ripam cum Bohemi arcta obsidione premerent, cæteris Germaniæ Principibus quiescentibus, Fridericus Dux Saxoniam, contracto e Misnia & Saxonia xxx millium bellatorum exercitu, ad solvendam obsidionem advolat. Nec intrepidi occurrunt Bohemi. Pu-

gnatum 14. Calend. Junii ab ortu solis in vesperam, tanto ardore, & tam anticipi fortuna, ut neutra acies loco cederet. Ad ultimum opportunitate loci Bohemi profligant Saxonem. Novem eo prælio Catholicorum millia cecidere; tantusque hæreticorum furor erat, ut ne his quidem, qui abjectis armis supplices vitam peterent, parcitum sit. Capta Ancha, trucidatisque incolis, urbs flammis funditus subversa.

In Lusatia, quod Crantzius retulit, urbs Lubana ab Huffitis astu intercepta, in eaque cives omnes contrucidati: Parochus, qui cives ad constantiam hortabatur, quatuor equis in diversum actis alligatus, membratimque discerptus: Clerus omnis, qui ad templum profugerat, inter hymnum, quem Virgini matri decantabat, interemptus; Monasteria omnia trucidatis Monachis everfa: senes, pueri, adultæque feminae mactatae, puellis & junioribus ad libidinem reservatis. Capta exinde Goltberga, ac decem hæc astate in Moravia urbes expugnatae, in quibus pari crudelitate sævitum ab Huffitis. Non Ariana, non alia unquam hæresis immatura patrare visa, postquam ad insitam gentis ferociam hæresis furor accessit.

## Annus Christi 1427.

Martini V. Pont. 10. Sigismundi Cæsar. 18.

Theodorici Administ. Pad. 12.

Raynald, in  
histor.  
Eccles.  
Aeneas  
Sylvius.  
Histor.  
Huffit.  
Henricus  
Wintonie  
ensis Cardis  
nalis a Pontifice  
miser  
sus Germa  
nos ad inter  
endum Boh  
hemis bel  
lum denovo  
instigat.

Hanc prolantis Bohemiam ruinam extremumque religionis discrimen cum Martinus Pontifex majori quam Cæsar & Germaniæ Principes doloris sensu acciperet, misit e regia Anglorum stirpe Henricum Wintoniensem Episcopum Cardinalem in Germaniam cum amplissima Legati potestate ad Cæsarem ac Principes. Multo ille labore & industria, provincias peragrando, ad bellum sacrum adversus Bohemos hæreticos est cohortatus, brevique multos Principes & populos promptos sub vexillo crucis collegit. Quam in rem a Pontifice amplæ noxarum condonationes sunt indultæ, & decimæ Clero imperatæ; ipse vero Pontifex ex arario Apostolico quintam vectigalium partem adjecit. Ac tantus hujus expeditionis ardor erat, ut a viris, fœminis, famulis, omnibusque, qui xv ætatis annum expleverant, xiii Hal-

lenses nummi exacti sint. Verum cum multi Germaniæ Principes querelas deferrent ad Pontificem de nonnullorum sacrorum inter se præsulum clericum corruptis moribus, quibus prosperos expeditionis sacræ successus multum ab irato Numine impediri sibi persuadebant; Pontifex aliis ad Cardinalem Legatum literis, II Calend. Octobris Romæ datis in hæc verba rescribit: *Volumus ut tua circumspexio præsertim Archiepiscopum Coloniensem, & Episcopum Herbipolensem, de quibus nonnulla indigna pietatis audimus, moneas ex parte nostra, & hortaris in caritate Dei, ut ita se gerant, ita vivant, tum propter salutem animæ, tum propter præsens scandalum, quod maxime debet earum mentes movere, ut ex vita eorum ceteri bonum exemplum sumant, neque habeant causam murmurandi. Coloniensi autem & Moguntino Archiepiscopis*

Raynald, in  
histor. Eccles.  
Aeneas Sylvius  
vius in hist.  
bohem. c. 48  
Tribem. in  
chron.  
Fabricius  
Spangenberg.  
Cochlaus  
Theobald.  
in histor.  
Huffit.

Infauste  
rursus Gers  
mani cum  
Bohemis  
congregis  
tatur.

Obitus  
Zitæ Huffitum  
Ducis.

Raynald, in  
histor. Eccles.  
Litera Pontif.  
Comitia  
Francofur.  
talia.



piscopis multos & præcipuos, ut cessent a bellis, & vires, quos ponunt ad effundendum Christianum sanguinem, vertant ad hereticos oppugnandos. Quia nimirum ipsorum error nocuit causæ fidei. Nam si cum reliquis se ad Bohemiam, prout debebant & statutum erat, contulissent, nunquam profecto exercitus ille tanta cum verecundia recessisset.

Raynald, in  
hisor. Eccl.  
Aeneas Sylv.  
vius in hist.  
bohem. c. 48  
Trithem. in  
choro.  
Fabricius  
Spangberg.  
Calvisius  
Theobald.  
in hisor.  
Hussitar.

Indigne nimirum ferebat Pontifex, intestinis armis Germaniam a Coloniensi & Moguntino conturbari, quæ in Bohemiam converti mallebat. Interim hoc anno celebrem illam expeditionem factam volunt (quamvis aliqui scriptores cum Trithemio ad sequentem annum referant) quo triplici exercitu processum in Bohemiam; quorum primus a Saxoniam Duce ex Saxonia & Anseaticarum urbium copiis; alter, Brandenburgico Duce, ex Franconibus, Thuringis, & Misnienfibus collectus; tertius Ottone Trevirensi Archiepiscopo Duce productus, cui Rhenani, Boji, Suevi, & imperiales urbes conjungere. Hoc tam numerofo exercitu per saltus Bohemicos penetratum, & Misni urbs obsidione tentata. At postquam Bohemos adventare compertum, soluta obsidione, Tachoviam properant; ubi dum inopinato in armatos Bohemos incurrunt, rursus terrore consternati, in fugam dissolvuntur: Cardinale Legato primus quidem attonito, multumque obnixio; aur prorsus deinde fugæ comite effecto.

Insauste  
ratus Ger-  
mani cum  
Bohemis  
congregatis  
agitur.

Extinctus demum hoc anno peste per castra Bohemorum grassante Zisca Hussitarum Dux; quamvis alii mortem ad annum 24 sæculi referant. Morri vicinum, rogatumque de bello

Obitus  
Ziscæ Hus-  
sitarum Dus-  
cis.

## Annus Christi 1428.

Martini V. Pont. 11. Sigismundi Cæsaris 19.

Theodorici Administratoris Pad. 13.

Vertente dehinc anno, Sigismundus Cæsar, tam ad cladem infamiamque cladis refarciendam, quam ad ferociam Bohemorum coercendam, Francofurti comitia Principum indixit. Multa in his salubriter de resumendis armis, delendisque ad internecionem Hussiticis convenere inter Electores & Principes. Quæ postquam Martino Pontifici per Henricum Cardinalem Legatum & septem viros renunciata sunt,

Raynald, in  
hisor. Eccl.  
Littera Pon-  
tifici.  
Comitia  
Francofurti  
tentia.

prosequendo præcepisse tradunt, pellem mortuo detraherent, eaque tympanum obducerent; fore enim, ut audito ejus pellis sono, tanquam fulminis ictu omnes Bohemorum hostes in fugam solverentur. Homo impius, & mortalium sceleratissimus; cui hoc epitaphium sepulchro subscripsere Hussitæ hæretici.

Joannes Zisca nulli Imperatorum  
Ducumque militari peritia inferior: superbia & avaritiæ Clericorum severus  
ultor hic jacet. Fortunæ belli nunquam  
desui, nec illa mihi. Omnem opportu-  
nitatem rei gerendæ etiam cæcus prævi-  
di. Signis collatis undecies semper victor  
depugnavi adversus pingues & saginatos  
Sacerdotes. Ossa mea hoc sacro loco cu-  
bant, etiam insalutato Papa invitoque.  
Diiis manibus sacrum.

In locum Ziscæ delectus Procopius, Imperiumque Pragensium penes Despotas & proceres fuit.

Hoc præterea anno Theodoricus Coloniensis Archiepiscopus Administratorque noster intestinum bellum cum Gerardo Cliveni & Marciano Comite adversus Adolphum Cliviæ Ducem trahebat, magnò totius Westphaliæ & Rheni inferioris turbamento; ut Legato cæterisque Principibus justa accusationis causâ apud Pontificem data fuerit; quanta enim auctoritate & potentia cæteris Archiepiscopis Electoribusque Ecclesiasticis ante stabat; tantum communis subsidii pro Reipubl. bono ab eo & Moguntino Archiepiscopo postulabatur.

D d d

cio-



Bohemi plurimas circum regiones vastant.

tiofissimam; toties improspere cum perfida gente pugnari, quæ nec militari virtute, nec multitudine bellatorum conferri possit cum Alemannis; nunquam id nationis dedecus expungendum, nisi quæ consiliis inter ipsos agitata sint, conspiratione armorum expediantur. Sed neque hoc anno, neque proximo ulla communibus armis expeditio suscepta est. Interim Bohemi crebris victoriis inflati, regnum in servitutem hæresis subigere, reliquas urbes & oppida expugnare, barbarorum in modum favere in Sacerdotes, Monachos & Catholicos. Et jam adeo viribus increverat audacia, ut prædatorio exercitu sese in Misniam, Thuringiam, & Saxoniam effunderent, ulturi harum regionum Duces & populos, a quibus hæctenus præ cæteris oppugnati fuerant. Itaque Pirna repulsi, Dresdam veterem capiunt; Misniaque etiam frustra tentata, Wittenbergam progressi, omnes ad Albim regiones spoliis & cædibus pervastant, (quem in modum Moraviam, Franconiam, Bojariam, Austriam, vicinasque regiones annuis fere irruptionibus & deprædationibus affligere.) Inde prædis saturi per Silesiam in Bohemiam regrediuntur. Illis vero tantus terror injectus, ut Magdenburgum & Brunswicum, cæterasque inter Albim & Visurgim urbes Magistratus & Principes præmunire cœperint. Tres per id tempus in Bohemia, ut diximus, Hussitarum sectæ erant. Thaboritæ, Orphani, & Pragenses, intestinis religionis dissidiis inter se digladiantes; quarum tamen una semper conspiratio erat, more omnium hæreticorum adversus Catholicos, vulpium instar caudis colligatarum, capitibus licet alio atque alio distractis.

Westphali, aliique ad Rhenum populi, quanto ab his malis remotiores,

## Annus Christi 1429.

Martini V. Pont. 12. Sigismundi Imp. 20.

Theodorici Admin. Pad. 14.

Mors Ottonis Archiepiscopi Trevir. cuius opera Cœnobium D. Benedicti restorato.

Inierat jam annus sæculi hujus vigesimus nonus, quo Otto Trevirensis Archiepiscopus XIII Februarii humanis subtractus. Nova ex hoc dissidii flamma inter rivales accensa; eoque gravior defuncti Ottonis Archiepiscopi

tanto securius agebant. Fervebat tamen adhuc intestinum bellum inter Adolphum Clivensem Ducem, & Theodoricum Coloniensem Archiepiscopum, omni ope contendentem, ut Gerhardo, Adolphi fratri, Marchiam assereret Dux Clivia. Cum per arbitros a Cæsare datos nihil obtineret, gravissime per literas & Legatos questus apud Cæsarem & Principes, Coloniensem Archiepiscopum, Henricum Monasteriensem Episcopum, Adolphum & Rubertum Montium Duces, Arnoldum Geldrium, Engelbertum & Joannem Nassoviam Comites, Fridericum Morsanum, Robertum Virneburgicum, Ottonem Teceleburgicum, Simonem Lippiensem, cæterosque hujus factionis Comites accusavit. At illo publicis Imperii negotiis armisque Bohemicis distento, hæsit inter civiles turbas Westphalia.

Hanc quia dominatu suo complexus erat Theodoricus Morsanus Colonienensis Archiepiscopus, omnia pro fortunæ cursu arbitrioque agebat. Cæteris Marchiæ oppidis arcibusque subiectis, expugnatum quoque castrum Hordense, ope cum primis Tremonienfium. Tum vero coacta nobilitas Marcana Gerhardo Clivensi fidem jurare. Qua opportunitate quoque usus Adolphus Dux Montium, confirmatusque Archiepiscopi viribus, Clivensem in campo Duisburgensi conferto prælio cecidit; castrumque Angerodanum, quod Clivensis munire volebat, Montium Duci assertum permansit. Omnia hujus Archiepiscopi consilia versabantur in distrahenda imminuendaque Ducis Clivensis potentia, quem unicum habebat ad Rhenum inferiorem & per Westphaliam formidabilem, sat memor, quantum hæctenus Episcopos afflixerant, Cliviæ Julique Duces.

memoria. Nec facile fuit eo sæculo Episcopus, quem perinde a liberalitate in egenos, justitia, & pacis studio, cultuque religionis commendant scriptores: eique potissimum reparatam per Cœnobium disciplinam adscribunt. Nam

Teschemach part. 2. p. 219. Intestinum inter Adolphum Clivensem & Theodoricum Coloniensem Archiepiscopum.

Dalheimense Virginitatis Cœnobium mutatur in Monasterium Canoniarum Regularium. Litera Dalheimensis. Cœnobii.



Nam postquam ejus consilio hortatuque Trevis in Cœnobio S. Maximini celebratus fuisset quinquaginta septem & amplius Abbatum conventus, in eoque ad veterem D. Benedicti formam Cœnobio redacta essent; tum postea ex eo deducta est congregatio Bursfeldiensis; traxitque initium ex Cœnobio S. Matthiæ apud Treviros, cui Otto Archiepiscopus ex consensu Pontificis imposuerat Abbatem Joannem de Rodè e Carthusia extractum, virum eruditione & sanctimonia vitæ celebrem. Is exulta a se disciplinæ Monachos ad Bursfeldiense Cœnobium, quod inter Werrhæ & Fuldæ confluentes ad confinia Corbejensium celebre fuit, misit, Abbatemque dedit Joannem, virum doctrina & religione egregium. Hic, quam Trevis acceperat disciplinæ sacræ formam, per Saxoniam introduxit; eoque præside, annui conventus institui, & congregatio, quam Bursfeldicam unionem dixere, cœpta. Brevisque supra LXXV Cœnobio sunt numerata, quæ huic florenti societati nomen dedere; interque ea recensuit etiam Trithemius Monasterium nostræ diœcesis Abdinghovianum & Mariæ munsterium; quibus postea ipsa quoque Corbeia accessit.

Dalheimense Virginitatis Cœnobium mutatur in Monasterium Canoniarum Regularium. *Littera Dalheimensis, Cœnobii.*

Atque ut ex hoc domestica propius contingam, Theodoricus Archiepiscopus Administratorque Paderbornensis diœcesis, præclaro religionis instaurandæ opere, Dalheimense Monasterii exordia fecit, convertendo dirutum dissolutumque Cœnobium Virginum in Monasterium Ordinis Canoniarum Regularium; haud secus quam Wilhelmus antecessor dissolutum Bodecense Canoniarum Virginum Collegium commutavit in ejusdem Ordinis Canoniarum Regularium Monasterium. Rem alius paulo repetam. Fuerat ante ducentos annos in pago Dalheim Virginum Cœnobium Ordinis D. Augustini institutum (cujus tamen fundacionis conditorisque nulla apud nos monumenta literarum extant) id lapsu temporum per bella superiorum annorum primo spoliis exhaustum, deinde tertio exustum erat, semel a nobilibus de Levenstein, iterum per Lippoldum de Etelen, tertio per Lippienfes. Qua calamitate Virgines cum & claustrum & templum

& bona omnia amisissent, ad vicina ordinis Cœnobio discessere, locumque per sexaginta annos vastum relinquere. Ægre interea tres nobiles, Badbergensis, Brobekianus & Harhusanus, tulere hoc Virginum Cœnobium, a majoribus suis aut conditum aut dotatum, ex hac vastatione relinqui extinctum. Hi igitur adire præsidem Cœnobii Bodecensis, utroque locum reparandum obtulere, simul pollicendo se pro viribus omnes antiquos ejus Cœnobii agros, census, & decimas repetituros. Id cum grato animo accepisset Præsul Bodecensis postulata nobilium detulit ad Theodoricum Archiepiscopum, uti ejus auctoritate & consensu omnia conficerent; is deinde hoc laudabili diplomate locum sacrum Bodecensibus transcripsit excolendum.

*Theodoricus Dei & Apostolicæ sedis gratia Archiepiscopus Coloniensis, Archicancellarius per Italiam, Angariæ Dux & Westphaliæ, ac Administrator Ecclesiæ Paderbornensis, ad perpetuam rei memoriam. Justis & honestis supplicum votis, potissime quæ divini cultus augmentum, salutem animarum, & commodum personarum respiciunt, libenter annuimus, illaque, quantum ex debito officii pastoralis tenemur, favoribus prosequimur opportunis. Cum igitur Monasterium in villa Dalheim, nostræ Paderbornensis diœcesis, pro certis Monialibus vitam religiosam sub regula S. Augustini ducentibus olim fuerat per Christi fideles competenter dotatum, & per Priorissam per plures annos gubernatum, hodie vero causante malitia hominum ac malo statu patriæ sic in edificiis suis collapsum habitationibus penitus desolatum, præterquam modico vestigio quatuor in locis Monasterii relicto pro receptaculo bestiarum magis quam hominum congruo. Agrique dicti Monasterii, imo totius villæ absque cultoribus per plures annos devastati jacuerint, spinas & vepres producentes, nihilominus religiosi viri, & nobis in Christo Dilecti Prior, & conventus Canoniarum Regularium Ordinis S. Augustini Monasterii S. Meinolphi in Bodeken zelo devotionis accensi dictum locum nunc multipliciter desolatum, & habitatoribus Christo famulantium destitutum dolentes, adjutorio altissimi, & Christi fidelium pia largitione & devotorum hominum*



minant suffragio pro divini cultus re-  
 stauracione reformare, atque terram di-  
 cti loci incultam, & quasi in salsuginem  
 versam extirpando vepres & spinas fru-  
 ctuosas, quantum ab alto consensusum  
 fuerit, Domino ad honorem reddere in-  
 tensis desideriis aspirant, subjungentes  
 omnia & singula bona, agros, decimas,  
 prata, pascua, silvas, grangias, hortos,  
 piscinas, molendinum, iudicia ad dictam  
 villam, & locum spectantia & pertinen-  
 tia, ipsis ad usum eorum ob dicti cultus  
 in eodem loco restauracionem liberaliter  
 donata donatione inter vivos fore ac in-  
 telligenter a possessoribus & Dominis di-  
 ctorum honorum resignata. Quare no-  
 bis dicti Prior, & conventus humiliter  
 supplicarunt, ut donationes & resigna-  
 tiones supradictas approbare & confir-  
 mare, nec non dictum desolatam Mo-  
 nasterium & locum videlicet villam Dail-  
 heim cum omnibus & singulis fructibus,  
 redditibus, juribus, obventionibus, ju-  
 diciis & aliis pertinentiis suis prefato  
 Monasterio in Bodeken etiam nobis sub-  
 jecto incorporare, annectere, & unire  
 in perpetuum dignaremur. Nos igitur  
 Theodoricus Archiepiscopus, & Admi-  
 nistrator antedictus attendentes petiti-  
 onem hujusmodi fore justam & consonam  
 rationi, desolationem, loci predicti de-  
 testantes, nec non ad reformationem  
 ejusdem, pro divini cultus restauracione,  
 pietate jure pastoralis multipliciter incli-  
 nati, donationes, largitiones, & resi-  
 gnationes supradictas, & bona hujus-  
 modi, quaecumque etiam si permutata  
 aut per resignationem quarumcumque  
 personarum ad ipsos Dominos Priorem,  
 & conventum redacta sint, de consensu  
 Dominorum Praepositi, Decani, & Ca-  
 pituli Ecclesie nostrae Paderbornensis ad-  
 mittentes & approbantes dictum locum  
 desertum, sive Monasterium cum villa  
 predicta cum omnibus & singulis fructi-  
 bus, redditibus, proventibus, decimis,  
 juribus, immunitatibus, iudiciis, liber-  
 tatis privilegiis, gratiis, bonis & re-  
 bus suis mobilibus & immobilibus, ter-  
 ris cultis & incultis, silvis, nemoribus,  
 piscinis, pratis, pascuis aquis aquarum-  
 que decursibus, molendinis, viis & in-  
 viis predicto Monasterio S. Maimulphi  
 in Bodeken incorporamus, annectimus,  
 & unimus in perpetuum per presentes,  
 Et eundem locum dicto Monasterio in  
 Bodeken auctoritate ordinaria quantum  
 nobis ex officio nostro incumbit, conce-

dimus, & assignamus, ita quod liceat  
 ipsis in dicto loco reformato indoneos sui  
 ordinis, aut alios cujuscunque status vi-  
 ros Deo in humilitatis spiritu servare  
 volentes instituere & destituere, juxta  
 ipsorum beneplacitum, & dicti loci fa-  
 cultatem & exigentiam, prout ipsi saluti  
 animarum prospexerint, feliciter expe-  
 dire volentes, & auctoritate ordinaria  
 decernentes, quia villa Dailheim ac Mo-  
 nasterium, & habitantes ibidem eisdem  
 gratiis, privilegiis, indulgentiis liberta-  
 tibus, immunitatibus deinceps gaudeat  
 quibus dictum Monasterium in Bode-  
 ken gaudet. Ut autem praemissa omnia  
 & singula obtineant plenioris roboris  
 firmitatem, presentem paginam sigilli  
 nostri munimine una cum sigillo Capi-  
 tuli supradicti jussimus roborari. Et  
 nos Alradus de Busche Praepositus, Hen-  
 ricus Decanus, ceterique Canonici Ec-  
 clesie Paderbornensis supradictae in  
 signum nostri consensus omnium praem-  
 issorum presentem terram nostri sigilli  
 jussimus appensione communitari. Datum  
 Anno Domini Millesimo Quadringente-  
 simo vicesimo nono, vicesima quinta  
 die mensis Maji.

Hac auctoritate praemunitus Bode-  
 censis Praefes misit duos Sacerdotes sui  
 Monasterii, additis Laicis fratribus; a  
 quibus magno labore & sudore vetus  
 Dalhemensis Cenobii locus intra Mon-  
 tem Martis & Lichtenaviam in campo  
 Sintfeldienfi excoli cepit, implerique  
 numerus sacerdotum & sacrorum ope-  
 rariorum. Nec defuit ad conspectum  
 paupertatis & religiosae vitae exem-  
 plum, quo primi illi coloni mirifice se  
 commendabant, promissa fides & lar-  
 gitas nobilium, cum primisque Brobe-  
 kiani, qui alter Dalheimensium condi-  
 tor est habitus; cujus patrocinio & in-  
 dustria haud multo post etiam Otto Co-  
 mes Waldecensis persuasus, omnia bo-  
 na patrimonii, quae a Buranis empta  
 possidebat in pago Dalheim, aut quae  
 feudi titulo habebat a Corbeiensibus in  
 campo Sintfeldico, liberali donatione  
 transcripsit Dalheimensibus Sacerdoti-  
 bus; quae & post rata habuit Arnoldus  
 Corbeiensium Abbas. Et jam brevi  
 adeo opibus & numero sacrorum ope-  
 rariorum aucti erant, ut novi Mona-  
 sterii cultura appareret; cum inter ipsos  
 cultores loci & Bodecenses lis oritur,  
 seperatumne illic Monasterium Cano-  
 nicorum

Theodori-  
 cus molis-  
 tur Episco-  
 patum Pas-  
 derbornen-  
 sem con-  
 jungere  
 cum Archie-  
 diecesi Co-  
 loniensi.

Consentit  
 in conjun-  
 ctionem  
 Martinus  
 V. Pont.



nicorum Regularium instituendum? an vero per modum acquisiti prædii & domicilii religiosi locus Bodecensibus, quod illi ex impensis a se factis poscebant, adjiciendus esset? res illa post a Winsheimensi congregatione decisa est; urgentibusque Brobekianis nobilibus, novum Dalheimense Monasterium erigendum decretum. Eo post majori religiosorum fervore, & piorum hominum donationibus, celebre istuc Monasterium, opibus & religiosa disciplina Bodecensi haud impar, exurgere visum; fabrica etiam claustris & Basilicæ, in qua ab anno 1460 ad 1470 laboratum, cæteris per diocesin Cœnobiis multo illustrius.

Theodoricus molitor Episcopus Paderbornensis cum Archiepiscopo Colonien-  
si.

Quam laudabile Theodorici Morsani Administratoris nostri opus fuit instauratio Dalheimensis Cœnobii, tam pravum consilium tædumque factum commemorare nunc necesse habeo. Machinatus est enim Paderbornensem Episcopatum conjungere cum Colonien-  
si Archiepiscopatu, & in unum Ecclesiæ corpus contrahere. Id ut conficeret, speciosas scripsit ad Martinum Pontificem literas, quibus prætexuit, Episcopatum Paderbornensem esse perquam exiguum, tenuem, & in eas angustias per bella redactum, ut nec suis se armis tueri amplius possit, nec Episcopatum alere; quippe cui non amplius quam quingentorum florenorum census annuus suppetat. Præterea Oppida castraque ejus omnia ita esse vel debitis gravata, vel oppignorata, ut nisi a Colonien-  
si Archiepiscopo aliove potentiori Principe sublevetur, nunquam in pristinum statum erigi possit; quod cum omnium in ea diocesi ordinum sit judicium, tum nihil ab his magis sollicitari apud se, quam ut Colonien-  
si jungatur. Multa hujusmodi callide Theodoricus Morsanus ad Pontificem; qui, quibus artibus Episcopatum Paderbornensem ingressus fuerat, iisdem subvertere & extinguere omni contentione laborabat, nunc hos, nunc illes in aula Pontificis corrumpendo. A quibus inductus Pontifex, transmissis ad Theodoricum diplomate, Paderbornensem Episcopatum Colonien-  
si conjungendum decernit.

Consentit in conjunctionem Martinus V. Pont.

Martinus Episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Pastoralis officii debitum, quo universis orbis Ecclesiis obligamur, assidue nos impellit, ut de Ecclesiarum, præsertim Cathedralium, omnium, ab illis pro tempore subjectarum personarum statu solliciti, prospere regantur & salubriter dirigantur, nec non in pacis & tranquillitatis amenitate floreat, juxta indultam nobis desuper potestatis plenitudinem operosis studiis intendamus. Cum itaque, sicut accepimus, Ecclesiæ Paderbornensis pro illius & Ecclesiæ Colonien-  
sis ac ejus subjectarum terrarum statu & commoditatibus conservandis venerabilis frater noster Theodoricus Archiepiscopus Colonien-  
sis per sedem Apostolicam in spiritualibus & temporalibus perpetuis Administrator deputatus existat, Nos ex certis causis animum nostrum ad hoc inducentibus, spemque nobis indubiam pollicentibus quod præfata Colonien-  
sis & Paderborn. Ecclesiæ ex hoc prosperiores consequerentur successus, ac eo validius & commodius se valeant ab adversariis tueri & noxiis præservari, quo vires utriusque simul conjunctæ fuerint fortiores, ejusdem Archiepiscopi in hac parte supplicationibus inclinati, ipsam Ecclesiam Paderbornensem, cujus mensæ Episcopalis fructus, redditus, & proventus, qui in Camera Apostolica ad centum florenos auri de eadem camera duntaxat taxatæ repetiuntur, quadringentorum florenorum auri similitum secundum communem taxationem valorem annum, ut ipse Archiepiscopus asserit, non excedant, cum civitate, territorio, districtu, Oppidis, terris, dominiis, castris, villis, & fortaliis, aliisque juribus & pertinentiis suis universis, venerabili fratre nostro Conrado Archiepiscopo Moguntin. cui præfata Ecclesiæ Paderbornensis metropolitico jure subesse dinoscitur, suum expressum ad id per suas literas adhibente consensum, eidem Ecclesiæ Colonien-  
si, cujus verum annum valorem præsentibus haberi volumus pro sufficienter expresso, auctoritate Apostolica tenore præsentium certa scientia in perpetuum incorporamus, annectimus, & unimus, ita quod licet Theodorico præfato & suis successoribus pro tempore existentibus Archiepiscopis Colonien-  
sibus auctoritate propria possessionem, & administrationem bonorum dictæ Ecclesiæ Paderbornensis apprehendere, & retinere, ac perpetuo ipsam Ecclesiam Paderbornensem regere

&



Et gubernare, ejusque fructus, redditus, ac proventus jura, obventiones, & emolumenta exigere, percipere, & levare, nec non in suos ac dictarum Colonienf. & Paderborn. Ecclesiarum usus convertere, alicujus licentia super hoc minime requisita; quodque dilecti filii, Capitulum, nec non vasalli, feudatarii, censuales, & alii subditi ac homines dictae Ecclesiae Paderbornensis Theodorico Archiepiscopo & successoribus praesatis obedientiam & reverentiam praestare, ac pertinentia recipere & jura debita exhibere, nec non ab eis feuda, homagia, & bona alia ad eandem Ecclesiam Paderbornensem pertinentia recipere & recognoscere teneantur & debeant, & in omnibus & per omnia sicuti consueverunt Episcopis Paderbornensibus, qui pro tempore exstiterunt, jure tamen metropolitano Ecclesiae Mogunt. alias in omnibus semper salvo, non obstantibus 4 Apostolicis, ac Colonienfis, Moguntinensis, & Paderbornensis Ecclesiarum praedictarum constitutionibus, ordinationibus, & statutis juramento, confirmatione Apostolica, & quacunque firmitate alia roboratis, consuetudinibus quoque, nec non privilegiis & indulgentiis, ac literis Apostolicis generalibus vel spe-

cialibus, quorumcumque tenorum existant, per quae praesentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus eorum impediri valeat, quomolibet aut differri, & de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris literis mentio specialis, ceterisque contrariis quibuscumque; proviso quod Ecclesia Paderbornensis praedicta debitis propterea non fraudetur obsequiis, ac solitis dignitatibus, Canonicorum, Sacerdotum ac Ministrorum numerus in illa nullatenus minuat, sed eis debita & consueta, ac alia incumbuntia onera opportuna debite supportentur. Nos enim ex nunc irritum decernimus & inane, si secus super his, a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrae voluntatis, incorporationis, annexionis, unionis, & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romae apud sanctos Apostolos, VIII Calend. Decembris, Pontificatus nostri anno tredecimo.

## Annus Christi 1430.

Martini V. Pont. 13. Sigismundi Imper. 21.  
Theodorici Admin. Pad. 15.

Vix dum annus praecedens se verterat, cum haec callida simul machinationes Archiepiscopi Colonienfis deteguntur Collegii Cathedralis praesulibus & Canonicis. Ii tamen primum ad ea, quae privatorum literis significabantur, suspensi dubiique haerent, nec tantam sibi Administratoris sui perfidiam persuadere possent; post tamen, ubi Pontificis diploma allatum fuit, certi non minus quam turbati indignatique, rem secum expendere ceperunt; nihilque insolentius occurrit, quam haec ab Archiepiscopo tam fraudulenter tentari, qui receptus in Administratorem Capitulo & Ordinibus juraverat, nihil se contra jura Ecclesiae & libertatem dioecesis unquam acturum, quemadmodum haec supra a nobis relata sunt. Mirati deinde rem tanti momenti, in qua salus & jactura simul totius Episcopatus versabatur, quaeque totam Westphaliam in turbas excitura esset, non

citato auditoque Capitulo, non rogatis ordinibus, non prologo Moguntini ac Metropolitanus Paderbornensis Ecclesiae consensu, tam abrupte a Pontifice decerni, secus quam Romae in ordinatissimo judicio fieri consuevit. Quare plerique in eam persuasionem venere, totum illud diploma aut subreptitium esse & per fraudes obtentum, aut Pontificem non satis edoctum, praecipitantiis quam causa gravitas exigebat, pronunciasse; aut certe tantam, ut esse debuit, Archiepiscopi fidem fuisse in aula Pontificis, quae nullum fallere posse crederetur, cum falleret omnes. Hunc in modum cum se Romae a Colonienfi Archiepiscopo Administratore suo circumventos viderent, Praesules & Canonici Paderbornenses, indictis comitiis, consultare in medium; nihilque consultius habuere, quam appellare ad sedem Apostolicam & Collegium Cardinalium, extremaque subire, ne anti-

quissi-



quissimus & nobilissimus Westphalicae a Carolo M. conditus Episcopatus, ad tuius hominis dominandi libidinem, amisso perpetuum jure eligendi Episcopum suum, extingueretur. Quapropter conceptis literis appellatum ad Pontificem, missasque Romam Legatus cum literis appellationis; quas hoc loco ad posteritatis fidem recitare visum est.

In nomine Domini amen.

Capitulum  
Cathedrale  
& ordinis  
Dioecesis  
Paderb. ap-  
pellant ad  
sacrum  
Pontificem

Per hoc presens publicum instrumentum cunctis ipsum intuentibus pateat evidenter, eodem anno nativitatis ejusdem millesimo quadringentesimo tricesimo, indictione octava, die vero decima septima mensis Septembris, hora primariam, vel quasi, de mane, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Domini Martini providentia Papae quinti anno ejus tredecimo, venerabilibus & circumspiculis viris Dominis Alrado Praeposito, Henrico Decano, Ottone Speghel seniore, Rodolfo de Wintringerde Camerario, Alberto de Haxthbus Praeposito Ecclesiae sanctorum Petri & Andreae, Henrico de Driborgh, Diderico Lappen Archidiacono sedis Huxariensis, Hermanno de Oyenshusen Thesaurario, Lodewico de Rostorp Cantore, Stephano de Malsborgh Archidiacono sedis Horbus: Wernbero Krevet, Hermanno de Recklinghus, Tyderico de Engelsen Scholastico, Ravenone de Papenheim, Henrico de Wolsten, Joanne de Ynadishus Canonicis, in loco Capitulari Ecclesiae Paderbornensis more solito vocatis & capitulariter pro hoc, videlicet animo appellandi, congregatis, & Capitulum ejusdem Ecclesiae hac vice representantibus ad subsequenter appellationis notam interponendam unitis, in nostrorum notariorum & testium infra scriptorum ad hoc vocatorum & rogatorum praesentia provocarunt & appellarunt. Atque apostolos petierunt & protestati fuerunt; quam quidem appellationem praefati Domini alta & intelligibili voce legi fecerunt & appellarunt, ac apostolos petierunt, aliaque dixerunt; & fecerunt, prout haec in subsequenti appellationis nota continentur, cujus appellationis tenor de verbo ad verbum sequitur & est talis.

Nos Alradus Praepositus, Henricus Decanus, Canonici, totumque Capitulum Ecclesiae Paderbornensis nostri, nec

non civitatis & dioecesis, totiusque Cleri, Laicorum, & subditorum Ecclesiae ejusdem nominibus ante omnia protestamur, quod per infra scriptam appellationem nostram non intendimus nec volumus ab obedientia sanctissimi Patris & Domini nostri D. Martini divina providentia Papae & sanctae Sedis Apostolicae recedere quoquo modo, vel resilire, sed ei in singulis licitis & honestis parere, intendere, & obedire, nec non eundem Dominum nostrum Papam, ejusque sanctam sedem Apostolicam pro posse & nosse cum omni humilitate & devotione honorare, & revereri merito prout tenemur, nec cuiquam in dignitate, honore, & statu quibusvis derogare, sed infracta pro conservatione juris & libertatis omnium praedictorum, ac causae, & negotii infra scripti defensione duntaxat dicere, proponere, & allegare. Qua protestatione praemissa, animo & intentione provocandi & appellandi, ac apostolos petendi, & recipiendi, dicimus, proponimus, conquerimur, allegamus, quod a trecentis ac a sexcentis proxime praeteritis, & continue citra & supra ac longe ultra viventium ac eorum progenitorum memoriam inter alias solemnes Cathedrales Ecclesias jure metropolitico sanctae Moguntinensi Ecclesiae subjectas, Paderbornensis Ecclesia semper fuit, & hodie sit una de solemnioribus Ecclesiis, fuitque & sit antiquissima per divae & sanctae memoriae Caroli Magni Pipini filium, & alios christianissimos Principes Romanos Imperatores congrue & opulenter diversis donis, etiam partem feudalibus sacri Romani Imperii fundata, erecta, dotata, & in dote comitatibus & dominiis diversis augmentata, tenuitque semper per tantum tempus, & a tanto tempore, cujus initii memoria hominum non existat, ac hodie teneat, & possideat tam in spiritualibus quam temporalibus civitatem Paderbornensem respectu aliarum civitatum Alemanniae satis notabilem & potentem, & quam plurima Oppida, quorum aliqua ex iis pro Cathedra Episcopali ibidem constituenda habunde sufficerent, ac etiam quam plura in numero fortissima fortalitia, villas, terras, & possessiones, ac dioecesi amplam plurimum dictarum, in qua ultra quam ducentae parochiales Ecclesiae solemnes sunt situae, collegiatas Ecclesias civitatis & dioecesis, ac Monasteria regularia  
tam



tam virorum quam mulierum diversorum ordinum, quae omnia designare & specificè exprimere legentibus fastidium generaret, & quia notoria sunt, res de se loquatur, & si expediat, in processu singula describentur. Habuit etiam ipsa Paderburnensis Ecclesia in praedictis castris, terris, oppidis, & aliis locis sollemnissimum dominium pacificum & quietum per tempora praedicta, consuevitque ab eisdem temporibus, & per ipsa tempora, & continue citra per Pastores, utique de Ducum, Comitum, & Baronum, & alias illustrium ac nobilium genere procreatos regi ac gubernari, qui ab antiquissimis temporibus sacri Romani Imperii Principum & ejusdem Imperii illustrissimorum Imperatorum Cappellani extiterant speciales, quodque nobilitas, potentia, & integritas hujusmodi ibidem Pastorum pro tempore residentium, necum ipsius Ecclesiae subditorum & vasallorum, sed omnium partium vicinarum fuit singulare praesidium, & conservatio; Consueveruntque etiam propter nobilitatem dictae Ecclesiae in eadem dumtaxat nobiles, & de militari genere, ac legitimo procreati matrimonio, in altera jurium doctores vel licentiatii, seu in theologia magistri, ac alias diversis virtutum titulis decorati viri ante plurima tempora in Canonicos, & hodie recipiuntur pro defensione Ecclesiae jurium & pertinentiarum ejusdem: habueritque a sepe dictis temporibus, ac continue citra dicta Ecclesia Paderburnensis, & pro tempore ipsius Ecclesiae Episcopus ratione foundationis ejusdem, & hodie habet sub se Duces, Landgravios, Comites & Barones, & alios illustres nobiles, & militares subditos praefatae Ecclesiae fidelitati astrictos, quorum etiam aliqui ex eis non alium, quam pro tempore dominum Episcopum Paderburnensem in eorum dominum recognoscunt temporalem: fueritque etiam ab eisdem temporibus & continue citra & hodie sit, cessantibus alienationibus & invasionibus infra describendis, dicta Ecclesia Paderburnensis in decimis fructibus, redditibus, & pensionibus tot introitus dotata, quod ex illis Episcopus pro tempore existens decentem & honestum statum gravitati & modestiae pontificalis dignitatis convenientem absque alicujus gravamine tenere potuerit & habere. Quinimo pro tempore Episcopus Paderburnensis,

licet ejus civitas, & diocesis in finibus & a propinquo habeat quam plures Principes, Comites, & Barones, & militares ad invadendum ipsius civitatem & diocesim, ut est notorium, promptissimos quotidie, de bonis tamen dictae Ecclesiae, & de potentia suorum subditorum potuit semper & hodie possit, si quis ibidem esset, ipsam Ecclesiam & ejus jura a quoruncunque etiam Principum & aliorum dominorum spiritualium & temporalium circum vicinorum incursum defensare, ac vim repellendo hostiliter resistere ascendentibus ex adverso, prout inquam pluribus triumphis & victoriis satis notabilibus temporibus nunc viventium per praedictos Episcopos pro tempore existentes gloriose consecutus evidenter emicuit, quorum unum relatione dignum dicatur. Ubi pia memoriae quondam Fridericus Archiepiscopus Coloniensis reverendissimi in Christo patris Domini Theodorici Archiepiscopi moderni praedecessor immediatus, ipso cum suo & aliorum Principum ingenti exercitu dictam diocesim Paderburnensem incendiis & rapinis hostiliter intrante, & invadente, mille quadringentis equis & sexcentis equitibus pro majori parte nobilibus armatis, vel citra dicti exercitus per solius tunc electi Paderburnensis & suorum subditorum potentia ac resistentia viriliter debellatis atque captis, solus cum paucis fugam capiendo vix evasit. Esto enim in tanti redditus, pensiones & introitus dictae Ecclesiae Paderburnensis ex cujuscunque culpa vel negligentia, seu qualibet alia causa, per sustentationem status Episcopalis, ut praefertur, quod tamen nunc admittitur ad praesens, non subesset, aut reperirentur. Veritas tamen est, quod tot, & tanta oppida, castra & praedia cum eorundem vero imperio & dominio ipsi Ecclesiae post ejus primariam foundationem ex Episcoporum pro parte industria, & pia legationum, & acquiescentium devotorum affectu largiter accreverunt, adeo quod licet ipsi paucos redditus Episcopali mensa tribuat, sitamen ipsorum aliquorum imo paucorum imperium & dominium vendicationi, si liceret, exponerentur, reperirentur emptores ex Principibus, & dominis circumjacentibus, qui tamen thesaurum eisdem darent, & exponerent, cum quo universi redditus, & introitus primariae foundationis ipsius Ecclesiae pro susten-



sustentatione Episcopalis dignitatis possent recuperari & redimi, imo alii tot & tanti de novo constitui & haberi ejusdem Ecclesie Paderburnensis etiam districtus quam plures clarissimos, & illuminatos viros, tam in Romana curia quam extra, videlicet protonotarios sedis Apostolicæ, Episcopos, auditores & doctores enutrivit. Et licet alias reverendissimus pater Dominus Theodericus Archiepiscopus Coloniensis prædictus ex nonnullis compositis per suasionibus ipsam Ecclesiam Paderburnensem a tunc sanctissimo Domino D. Joanne Papa XXIII per quasdam suas literas sub data Idib. Aprilis Pontificatus sui anno quinto in Oppido Friburgi Constantiensis diocesis post ipsius de constantia occultum recessum obtinuerit sibi ad dies vite sue taliter qualiter concedi ad commendam, siveque ad eandem Ecclesiam, in finem tamen ut ipsam salubriter citra alicujus rei immobilis vel pretiosi mobilis alienationem, fructus ipsius Ecclesie in ejusdem utilitatem convertendo juxta ipsarum literarum decretum & interdictum, certa ad id in se continentium tenorem, certo etiam juramento per eum ad id præstito sub juramento per eum ad id præstito sub literis ejus sigillo appendenti desuper sigillatis regeret, ac fideliter conservaret, nec non defenderet & admissus; horum tamen immemor, ejus reverentia semper salva, certa solemnia castra, prædia, ac bona immobilia dictæ diocesis in processu causa specificanda sine consensu Capituli Ecclesie Paderburnensis alienaverit, nec non ab officiis suis castrorum & fortalitorum ipsius diocesis, quod eadem ad utilitatem Ecclesie Coloniensis conservent, ut sic perpetue a præfata Ecclesia Paderburnensi alienentur, juramenta certa exegerit & exigat, ac quam plures notabiles summas pecuniarum fructuum dictæ Ecclesie Paderburnensis similiter specificandas in usus Coloniensis Ecclesie converterit, ipsis literis, ac tali quali commenda per eum, ut præfertur, impetratis, multifarie abutendo, & continuam residentiam in locis circumvicinis civitatis Coloniensis, quæ ultra tres dietas a civitate & diocesi Paderbornensi notorie distat. Faciens autem homines vita & conversatione & moribus subditis Ecclesie Paderburnensi omnino contrarios, ad eandem civitatem & diocesis Paderburnensem per biennium proxime præteritum

& ultra nunc declinaverit, ac alias ad ipsarum civitatis & diocesis Paderburnensis conservationem, gubernationem & defensionem hucusque satis modicam diligentiam duxit adhibendam, adeo & totaliter, quod bona subditorum Ecclesie Paderburnensis prædictæ quotidie hostiliter invaduntur, & in prædam abducuntur, pauca imo nulla per eum adhibita resistentia aut remedio opportuno, sic quod hujusmodi præterse commendæ durante tempore fructus & introitus ipsius Ecclesie dicti Domini Archiepiscopi culpa & negligentia causantibus sunt plus quam mediate dissipati & diminuti. Cumque hæc sunt detestabilia, imo absque mæore referri non possunt, ac satis tendant in suppressionem & destructionem dictæ Ecclesie Paderburnensis, præsumaturque verissimiliter a quam pluribus, quod in vindictam casus & ruinae exercitus ipsius Domini Archiepiscopi quondam prædecessoris præacti, ac quod ipsa Paderburnensis Ecclesia sic suppressa ab Ecclesia Coloniensi, quæ ei in pluri obligata jus suum petere non valeat, nec omnino, ut præmittitur, contra ipsam se defendant, fuerint & sint facta & ordinata. Nihilominus tamen idem Archiepiscopus his detestabilibus, ut noviter ad notitiam nostram Alradi Præpositi, Henrici Decani, Canonicorum, ac totius Capituli Ecclesie Paderburnensis devenit, propositum suum omnino detestabilibus hucusque tectum ad lucem deducens prædictis verbis & veritati subiectis subdole tacitis, & expressis falsitatibus de valore annuo fructuum, reddituum, & procentuum mensis Episcopalis dictæ Ecclesie Paderburnensis, quem adhuc introitus unius duntaxat castrorum, quorum plura sunt ipsius diocesis, excedunt, & aliis quam pluribus false suggestis & suppressis, quærens quæ sua sunt, non quæ Christi, in finem ut Principem circumveniret, & ut ipsa Ecclesia Paderburnensis funditus supprimeretur, ac re, nomine & honore pontificalis dignitas extingueretur, a sanctissimo Domino nostro D. Martino divina providentia Papa v. sæpèdictam Ecclesiam Paderburnensem sibi, & Ecclesie Coloniensi subreptitè & obreptitè perpetue fama publica referente uniri & incorporari obtinuit ac incorporavit in destructionem, vituperium, & perpetuum obloquium Ecclesie Paderburnensis.

Ecc

strum,



strum, ipsius civitatis, & diocesis, ac omnium subditorum eorundem, & maxime tamen Apostolicæ sacri Romani Imperii & Ecclesiæ Moguntinæ valde notabile detrimentum, præjudicium, damnum, & gravamen. O insatiabilis dominandi libido! o sacra auri fammes! querere & instare Ecclesiæ Coloniensis, cujus fructus, redditus, & proventus, & quando discreto ordine, secundum Deum, ut diceret, gubernata foret, pro decem Episcopis abunde sufficerent. Cogitne ulla necessitas ad mare congeri aquarum guttulas, ut plus tumescat & abundet? Capite contra antiquorum vulgatam sententiam plenitudo? & ridiculosius esset, cum sacerorum Canonum documenta dignitatum & beneficiorum numerum augendum declarant non extinguendum. In hoc enim sancti Patres honorem suum crescere fatebantur, quando alios in honore conservabant. Quomodo igitur tam levis, & prompta surgit audacia, nulla obsistente causa legitima, ut tentetur, quod sancta sedes Apostolica imminuta servitiis, Romanum Imperium in Principe imperat Capellano speciali, & Ecclesiæ Moguntina in suffraganeo suis defraudentur, orbentur & priventur? ac tam misere de matre constituantur filia? de libera tam scandalose efficiatur tributaria & ancilla? quinimo de viva fiat mortua & extincta? Certe indecens & inhonestum foret, piam intentionem dictorum christianissimorum Imperatorum præactæ Ecclesiæ frustrari effectu & fructu, quem iidem ac pastores Ecclesiæ, nec non alii Christi fideles & devoti homines illius patriæ gravibus sumptibus sacrarunt & dedicaverunt, ad aliena horrea tam indiscreto iudicio transportari, quod ut timendum est non absque detestabili sanguinis effusione perficeretur, & ex hoc sine dubio infinitæ guerræ, homicidia, & animarum perditiones, ac lites immortales, partialitatesque inextinguibiles in illis partibus orirentur. Et cum nulli sub alterius iactura consulendum sit, ac quilibet terminis suis debeat contentari, satis habet respicere & gubernare Dominus Archiepiscopus Coloniensis pro tempore existens, & utinam manus Dei sit ei propitia, ut omnia debite gubernentur, & testamentibus dictis sanctorum Patrum quilibet in iure suo & honore debet conservari, ne subtractis co-

lumnis corruat ædificium, imo si dicta incorporatio haberet vigorem, & esset sortita effectum, merito propter præmissa, cum utraque ipsarum pro se sufficiat, et quia de una earundem ad aliam nisi per territoria duorum magnorum Principum Ducis Montensis et Clevenensis absque gravi periculo per viatores quoslibet, imo per Dominum Coloniensem in ejus propria persona, nisi cum magno conitatu perveniri minime potest, dissolvi potius deberet et disjungi. Unde nos, Præpositus, Decanus, Canonici, & Capitulum prædicti, nostrorum, & Ecclesiæ Paderbornensis, totius civitatis, & diocesis, Cleri, Laicorum, & omnium subditorum eorundem nominibus non modicum ex præmissis tanquam fideles matris suæ sui filii dolore compuncti, quem enim fidem matris suæ filium contumelia tanta non laderet, & confusio tam scandalosa non moveret? Et quia res ipsa Deo ingrata, mundo odibilis scandalosa parit, honorem lædit, perpetuum præjudicium rerum, honorum, honorum producit, ac cum crudele sit famam suam negligere, volentes prædictis incorporationi & unioni, si quæ fuit, ne ad illum detestabilem inordinatum effectum deducatur, quantum in nobis est, salvo tamen protestationibus nostris præmissis, occurrere, & prædicta ad sanctissimi Domini nostri Domini Martini Papæ V. prædicti, & ejus Soc. Collegii reverendissimorum Dominorum sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium notitiam deducere a prædictis incorporatione & unioni ac literis desuper forsan confectis, si quæ sunt, cum non vocatis, neque auditis illis, de quorum præjudicio perpetuo agitur, & sine consensu eorundem, ac non justificatis expositis in ipsis præsentis literis, sicuti nec unquam, quia mendosa justificari poterunt, ac aliis solemnitatibus, & stylo in talibus gravioribus negotiis merito servandis minime servatis, sint subreptitiæ & obreptitiæ extortæ & impletæ, ac a quibuscumque processibus desuper fulminatis forsitan & fulminandis, ac ab omnibus gravaminibus & periculis, quæ express. seu eorum quolibet, ac ab ipsis literis & processibus præsentis, quas & quos hic pro justificatione præsentis appellationis inserimus, & pro insertis haberi volumus, & non alias colliguntur, seu colligi po-

runt,



terunt, pro nobis omnibus communiter & divisim, & singulos, quos tangit negotium huiusmodi, & in futurum tangere poterit, ac omnibus adherentibus nobis, & adherere volentibus, ac contra Dominum D. Theodericum Archiepiscopum in huiusmodi causa & negotio ad sanctissimum in Christo Patrem Dominum nostrum Dominum Martinum divina providentia Papatu V. prædictum sinistre informatum melius circa præmissa informandum, & sanctam sedem Apostolicam in his scriptis appellamus, & Apostolos petimus primo, secundo, tertio, instantier, instantius, instantissime, si quis sit, qui eos dare velit, & possit, subijcimus nos, Ecclesiam Paderbornensem, ac civitatem & diæcesin præactas, nec non Clerum, & Laicos, ac omnes subditos eorundem, & omnes, quorum interest, ac nobis adherentes, & adhæsuros, ac nostrorum omnium statum & honorem, nec non beneficia & bona quæcunque tuitioni, & defensionis sedis Apostolicæ antedictæ, & protestamur de huiusmodi appellatione prosequenda, ac insinuanda & intimanda ipsi reverendissimo Patri Domino Archiepiscopo Coloniensi, & aliis quibuscunque, quorum interest, suis loco et tempore opportunis, jure addendi, corrigendi, mutandi, et augmentandi, nec non de novo appellandi, ac aliis juris beneficiis nobis semper salvis. Super quibus omnibus & singulis iidem Domini superscripti requisierunt nos notarios infra scriptos, ut ipsis super præmissis unum vel plura publicum seu publica in meliori forma ad dictamen cujuslibet sapientis conficeremus instrumenta. Lecta & interposita fuit hæc superscripta appellatio modo & forma præmissis sub anno, indictione, die, mense, hora, Pontifice, loco, suprascriptis, præsentibus ibidem discretis viris Johanne Louff, & Helmico Helmici, alias Nygewegh Clericis Paderbornensibus testibus ad præmissa vocatis & requisitis.

Non his fatis habuere Paderbornenses ad tam audax & perfidum Theoderici Administratoris sui facinus impediendum; sed & vicinorum per Saxoniam Cathedralium patrocinium opemque imploravere; Moguntinorum cumprimis, quod a Caroli M. ævo Paderbornensis Ecclesia Moguntinæ Me-

tropoli hæctenus subiecta constitisset, multumque interesset, ne pro veteri jure & dignitate nobile illud membrum a corpore Metropolitanæ Ecclesiæ divelleretur. Et Moguntini accepta rei iniquitate, hisce literis scripsere ad Martinum Pontificem.

Beatissime Pater, cum humillima nostrum recommendatione & pedum osculo Beatorum ad sanctitatis vestre recurrimus clementiam, devote exponentes, quod noviter ad nostram notitiam devenit, quod, quanquam Ecclesia Paderburn. per divæ memoriæ Imperatores Romanorum decenter & copiose dotata fuerit, quatenus ad ipsius Episcopi, & aliorum prælatorum & membrorum suorum pro tempore existentium sustentationem suis propriis facultatibus restantibus laudabiliter sufficere reperitur: tamen reverendissimus Pater, Dominus Theodericus Archiepiscopus Coloniensis quasdam literas, ut dicitur, Apostolicas, prætexit, quod ipsam Ecclesiam Paderburn. cum pertinentiis & juribus suis nittur Ecclesiæ Coloniensi fore perpetuo incorporatam, annexam, sive unitam, extorsisse refertur, quorum occasione Ecclesia, civitas, & diæcesis Paderburn. Pastore Carib. solatio & dignitate privata, plurimum gravata & desolata remaneret, & cum hoc dictæ Ecclesiæ Paderburn. Capitulo non consentiente, ipso etiam ad hoc non vocato, simuliter nobis de Capitulo Ecclesiæ Mogunt. cui dicta Ecclesia Paderburn. jure metropolitico subiecta semper fuit, & est, in his non vocatis, auditis, neque consentientibus agitata sint, præterea non solum in ipsius Ecclesiæ Paderburn. & status ejusdem suppressionem & perpetuam extinctionem, verum etiam in nostræ Ecclesiæ Moguntin. provinciæ & honoris diminutionem præmissa cedere videntur. Supplicamus igitur sanctitati vestre humiliter & devote, quatenus de benignitate Apostolica Ecclesiæ Paderburn. præfata paterne consulentes, ipsam in statu suo antiquitus solemniter & solidato conservare, & ne scandala ex præmissis — etiam cum grandi sanguinis effusione perveniant, Præpositum, Decanum, & Capitulum memoratæ Ecclesiæ Paderburn. in prosecutione prioris status, præeminentiarum, honoris, dignitatum, & causæ movendæ seu motæ in præmissis oculo clementiæ etiam respicere dignemini, ejusdem Ecclesiæ destructionem irrecuperabilem revelantes, quinimo præfata Ecclesiæ nostræ Mogunt. & ejus provinciæ præeminentiam eadem sanctitas vestra per hoc etiam illesam & indimembratam ad omnipotentis gloriam conservabit, qui sanctitatem vestram, ad ipsius Ecclesiæ gubernationem dirigere & conservare dignetur longæve. Datum nostro sub sigillo ad causas Anno Domini Mcccc trigesimo, die xi mensis Octobris.

Humiles & devoti Oratores Petrus Echter Decanus, & Capitulum Ecclesiæ Moguntinensis.

Ecc 2

Ac

Moguntini scriptis ad Pontificem literis impeditur conjunctio nem Episcopus Pad. cum Archiepiscopatu Coloni.



Pontifex  
melius edo-  
ctus cau-  
sam cogno-  
scendi dat  
Geminiano  
de Prato,  
causarum  
Auditori.

At Martinus Pontifex, postquam appellationis literas a Paderbornensi Collegio accepit (quibus & urbs Paderbornensis ordinesque diœcesis suas conjungere) intellexitque, quibus artibus a Colonienſi Archiepiscopo circumventus, & quas turbas hæc Episcopatus conjunctio investura eſſet; negotium cognoscendi dedit Geminiano de Prato, sacri palatii causarumque Auditori. Et is discussis rerum momentis, quæ a Paderbornensibus poſcebantur, scri-

ptis ad Theodoricum Colonienſem Archiepiscopum literis, Romam ad dicendam causam citavit, jussitque & ipsum & ministros ejus continere se ab omni machinatione conjungendi Episcopatus. Quænammodum & hujus literæ hoc anno xxiv Novembris consignatæ apud nos reserwantur. Ita vero primo trenum Colonienſi Archiepiscopo injectum; retentusque is est ab impetu insiliendi in Episcopatum Paderbornensẽ.

## Annus Christi 1431.

Eugenii IV. Pont. 1. Sigismundi Cæsar. 22.

Theodorici Admin. Pad. 16.

Raynald, in  
hist. Eccles.  
Aeneas  
Sylvius,  
Trithem,  
Moricur  
Martinus  
V. Pont.  
succedente  
Eugenio IV

Quæ dum magna partium contentione cepta sunt agi Romæ in judicio Apostolicæ sedis, moritur hoc anno inſequenti, xx Februarii, Martinus Pontifex, Successorem nactus v Nonas Martii Eugenium Pontificem, gente Venetum. Et Martinus Pontifex paulo antequam discederet, opera Juliani Cardinalis Legati sui, per Germaniam Synodum Basileæ inchoarat; quam & Eugenius Pontifex promovendam suscepit, facta ad xxiii Julii initio. Ejus quoque Pontificis studio Imperator Norimbergæ xxiii Aprilis Principum comitia indixit, in quibus bellum adversus Bohemos decretum, resumprumque magno apparatu magnoque cruce signatorum concursu; numerata enim quadraginta millia equitum: haud minor peditum multitudo fuit. Quocum florentissimo exercitu, cui Moguntinus, Colonienſis & Trevirensis Archiepiscopus suas quoque copias junxere, ætate processum est in Bohemiam. Duces se obtulere, Fridericus Marchio Brandenburgensis, Fridericus Dux Saxonæ. Accesserunt Albertus & Christophorus Palatini, Herbipolensis & Eistadensis Episcopi; aderant & Imperialium urbium auxilia. Spangebergius etiam huic expeditioni præsentem sistit Colonienſem Archiepiscopum cum Juliano Cardinale; ejusque cum primis Cardinalis Juliani auctoritate alii hanc tertiam expeditionem provec̄tam tradunt. At improſpera rursus expeditio. Quippe vastatis crudeliter Bohemorum agris, incensisque Oppidis, ad famam adventantis hostis totis castris trepidatum; nec expectato Du-

Indicitur  
Synodus  
Basileensis,  
& Comitia  
Norimber.

Bellum ad-  
versus Bo-  
hemos res-  
sumitur, ac  
infelici rur-  
sum exitu.

cum imperio, in fugam soluti, confederati amissisque impedimentis, redire ad lares suos. Fortius felicisque rem egit Albertus Austriae Dux, Sigismundi Cæsaris generis post auditam Germanorum fugam Moraviam ingressus, supra quingentas villas ferro & igne delevit, Oppida complura Hussitarum expugnavit, caesosque Moravos ad obsequium reduxit, Principes cum tot improſperis bellis nihil se efficere viderent, Bohemos ad Concilium Basileense invitarunt, in quo Patrum judicio omnis regni & religionis controversia decideretur; id quod a Bohemis quoque acceptatum. Sigismundus interea in Italiam profectus, Mediolani in Basilica D. Ambrosii ferrea pro ritu majorum corona insignitur.

Felicio ad-  
versus Mo-  
ravos Albet-  
ri Austriae  
expeditio.

Sigismun-  
dus accipit  
Mediolani  
ferream cu-  
ronam.

Cæterum controversia, quam inter Paderbornenses & Theodoricum Administratorem suum agitatam diximus, consequenti hoc anno multo contentius suscepta est, delataque ad judicium Eugenii Pontificis. Quam in rem convenere rursus Collegii Cathedralis Canonici, Magistratus, & cives urbis Paderbornensis, vasalli, Ministeriales, nobiles, omnesque diœcesis ordines; quorum una animorum consensus & conspiratio fuit, malle se omnium bonorum jacturam facere, quam perfide hæctenus tentatam a Theodorico conjunctionem Ecclesiæ suæ permittere, quod his tabulis palam convenit.

In

Rursum  
convenit  
inter Pader-  
bornenses  
non per-  
mittere ex-  
tinctionem  
Episcopatus  
Pader-



In nomine Domini Amen.

Anno a Nativitate ejusdem millesimo, quadringentesimo, trigesimo primo, indictione nona, die vero decima tertia mensis Aprilis, hora primarum de mane vel quasi; Pontificatus sanctissimi Domini in Christo Patris & Domini nostri Eugenii divina providentia Papae quarti, anno ejus primo, in nostrorum Arnoldi Braudis & Beroldi Gossentorp Notariorum, testiumque infra scriptorum ad hoc vocatorum & habitorum, nec non in praesentia venerabilium & circumspectorum virorum, Dominorum Alradi Praepositi, Henrici de Haxthusen Decani, Ottonis Spegill senioris, Alberti de Haxthusen Praepositi Ecclesiae Ss. Petri & Andreae, Henrici de Driborgh Archidiaconi Sedis Steinhem Priorum: Joannis de Driborgh, Lodewici de Rostorp Cantoris, Wernberi Crevet, Tiderici Lappen Archidiaconi sedis Huxariensis, Hermannus de Oyenbusen Thesaurarius, Stephani de Malsborch Archidiaconi sedis Horhusen, Tiderici de Engelsen Scholastici, Ravenonis de Pappenheim & Conradi de Elmeringhusen Canonico-rum Ecclesiae Paderbornensis capitulariter congregatorum, personaliter constituti, Illustris nobilis Bernardus de Buren, strenuus Dominus Joannes de Valkenberch miles, nec non Hermannus Spiegel, Henricus de Oyenbusen Senior, Joannes van Haxthusen, Conradus de Elmeringhusen, Dydericus de Herse, Wichartus de Enze, Heidenricus & Reynekus de Calenberg, Borchardus de Papenhem, Tydericus de Nybusen, Henricus Klinghe, & Joannes de Sumnerke, simul diocesis Paderbornensis & Ministeriales Ecclesiae praefatae: nec non providi & discreti viri Henricus Ruwelin, Bado Bruckemans, Detmarus Person, & Rudolfus Snaerman Proconsules, & Detmarus Rozen Camerarius civitatis Paderbornensis nomine sui consulatus, & universitatis civitatis Paderbornensis, matura deliberatione praehabita conjunctim & divisim retulerunt expresse, non vi, aut metu, aut machinatione sinistra circumventi aut inducti; sed potius honoris, libertatis, & privilegiorum, quibus ipsi & eorum antecessores hactenus usi fuerunt, & utuntur, conservantes, quod nunquam de ipsorum, aut alicujus ipsorum scitu, consensu, &

voluntate tacita, vel expressa, praetensa incorporatio, unio, sive adnexio Ecclesiae Paderbornensis ad Ecclesiam Coloniensem, quam Reverendissimus in Christo Pater & Dominus Theodoricus Archiepiscopus asserit a bona memoriae Domino Martino PP. Quinto impetrasse, emanavit: & si quid in praemissis actum, factum, seu impetratum fuerit, ipsis ignorantibus, imo dissentientibus factum exitit. Etenim si aliquibus literis de praefata incorporatione mentionantibus alicujus ex praefatis Dominis, vassallis, & civibus reciperetur impensum, quod hujusmodi sigilla sunt adulterina, & praeter ipsorum requisitum, consensum & voluntatem adhibitam furtive appensa: & reclamaverint audito rumore de praemissis, & ex nunc reclamant, & dissentunt, eligentes potius corporum & rerum dispendia subire, quam perverse incorporationi assensum praebere. Et ut Ecclesia Paderbornensis in juribus, privilegiis, libertatibus, et honoribus suis, quibus per sexcentos annos usa fuit, se exhibeat, quaecunque defensionum subsidia, ut tenentur, exhibere, et se tanquam muros in resistendo pro domo Dei laborare, et melius ut dicta Ecclesia in juribus suis illaesa conservetur. Praefati vero Domini Decanus & Capitulum circa revocationem infra scriptorum, & aliorum quorumcunque syndicorum & procuratorum hactenus per Capitulum constitutorum, nec non Vassalli, Proconsules & Consules, & cives privati fecerunt, constituerunt, creaverunt, & solemniter ordinaverunt suos veros Syndicos, & Procuratores, Actores, Factores, negotiorumque suorum gestores, ac Nuncios speciales & generales, ita quod specialitas generalitati non deroget, nec e contra, videlicet venerabiles & circumspectos viros, Dominos & Magistros, Joannem Wallingh, Domini nostri Papae praedicti Capellanum, & ejus sacri Palatii causarum Auditorem, Sanctum de Vmianis Advocatum Consistorialem, Joannem Engelhardi, Nicolaum Homborch, Thomam Rode, Petrum Quentin de Ortebergh, Blasium de Roma, Hartlevum Bonekamp, Hermannum Recklinghusen, Hermannum Vosseken, Sanderum Marteskusen, Joannem Scollen, Joannem Rickerjen, Didericum Albusen, & Hermannum Cremer in curia Romana

Rursum  
convenit  
inter Pader-  
bornenses  
non per  
mittere ex-  
tinctionem  
Episcopatu  
tus Padi.

Felicior ad-  
versus Mo-  
ravos Albet-  
ri Austriae  
expeditio.

Sigismundus  
dus accipit  
Mediolani  
ferream cu-  
ronam.



Romana causarum & audientia contradicitorum Procuratores absentes tanquam presentes, & quemlibet eorum in solidum, sic quod occupantis conditio melior non existat, sed quod unus eorum inceperit, alter eorundem prosequi valeat, mediare, terminare, & finire, in causis & negotiis quibuscunque, & præsertim statum, honorem, immunitatem, libertatem, proprietatem, laudabiles consuetudines, jus, jura, privilegia & bona, quæcunque ad subsistentiam & conservationem eorundem constituentium & Ecclesiam præfatam ac ipsius subditos quomodolibet concernentes, & concernentia, quibus ipsi & ipsa jam (in) præsentem in toto vel in parte per quoscunque Dominos spirituales & temporales, etiam communitates, aut quosvis alios cujuscunque status, gradus, ordinis, conditionis, et præeminentiæ existant, quibuscunque nominibus censentur, seu quacunque præfulgeant dignitate, impedita, oppressa, destituta, alienata privataque forent, seu in futurum impediri, opprimi, destitui, alienari, privari, interest, aut contingeret etiam tolli consensum, prout superius est expressum: quorum etiam nomina, cognomina, statum, & dignitatem præsentium volueritis habere pro expressatis. Et præsertim in causa, & causis appellationis seu appellationum per dictos Dominos Præpositum, Decanum, & Capitulum nomine Ecclesie Paderbornensis, Cleri, civitatis, vasallorum, & subditorum diocesis Paderbornensis ad quondam sanctissimum in Christo Patrem & Dominum Dominum Martinum divina providentia PP. Quintum, & sanctam sedem Apostolicam a nonnullis incorporatione, unione, perversis Ecclesie Paderbornensis Ecclesie Coloniensi factis (ut dicitur per ipsum quondam dictum Martinum Papam, ac literis & processibus desuper forsitan confectis & fulminatis, seu conficiendis & fulminandis) contra Reverendum Patrem & Dominum D. Theodoricum Archiepiscopum Coloniensem interponentem, seu interposituram causam, seu causas appellationis & appellationum hujusmodi cum toto negotio principali, ac omnibus & singulis suis incidentibus, dependentibus, emergentibus, & connexis ad præfati quondam sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Domini Mar-

tini Papæ, ac ipsius sacri Collegii Reverendissimorum Patrum Dominorum sanctæ Romanæ Ecclesie Cardinalium notitiam deducendam, & coram ipsis proponendam ac prosequendam, nec non deduci, prosequi, & proponi faciendum, & desuper coram quibuscunque, iudicibus Commissariis, auditoribus datis vel dandis, deputatis seu deputandis, impetratis seu impetrandis subrogatis aut subrogandis in curia Romana, etiam extra eam agendi & defendendi, terminosque omnes & singulos solitos & consuetos, maxime stylum sacri Palatii Apostolici, etiam qualicumque modo servandum, nec non nomine dictorum constituentium comparendi, libellandi, litem seu lites contestandi, libellis respondendi, de calumnia jurandi, & quodlibet alterius generis licitum juramentum in animas dictorum constituentium procurandi, ponendi, & articulandi, ipsisque respondendi, testes, literas, privilegia, jura, instrumenta, munimenta, & quæcunque probationum genera producendi, productis ex adverso contraicendi, excipiendi, amphanai, duplicandi, triplicandi, quadruplicandi ----- judices & loca eligenda, & recusanda, protestandum, allegandum, declarandum, terminandum, concludendum, sententiam seu sententias tam interlocutivas quam diffinitivas & quascunque alias ferri petendum, & audiendum ab ipsis, & eorum quolibet a quocunque alio gravamine illato vel inferendo quoties visum fuerit appellandum: Apostolos petendi, & appellationem hujusmodi prosequendi, etiam ab ea seu eis, si videbitur expediens, replicandi: expensas, damna, & interesse petendi, ac taxata recipiendi, emonendi, & quitandi, et super præmissis juris ordine procedendi, cautiones quascunque necessarias, et præsertim ad producendum mandatum speciale, et si quomodolibet opus fuerit, procurandi, et de ratihabendo, et facta per constitutionem promittendi, beneficium absolutionis simpliciter vel ad cautelam impetrandi, implorandi, obtinendi, literasque etiam tam supplices quam legendas, gratiam seu justitiam in se continentes impetrandi seu impetrandis: contra prædictam Ecclesiam, et etiam ejus statum, honorem, immunitatem, libertatem, proprietatem, laudabiles consuetudines, res, jura, privilegia,



vilegia, & bona quæcunque in audientia literarum contradictarum Domini nostri Papæ, seu in Cancellaria, Bullaria, Camera Apostolica, seu alibi, ut visum fuerit, contradicendi ipsasque impediendi, arrestandi, & quaruncunque contra præfatam Ecclesiam forsitan attentatarum in ejus præjudicium, damnum, gravamen, & detrimentum fuerint, præsertim in dictarum incorporationis, unionis, prætensionum, causis & negotiis retractari, revocari, & reclamari, petendi, & obtinendi unum vel plures syndicos & Procuratores, seu Syndicum & Procuratorem loco sui, seu alterius eorundem, qui consimilem in præmissis in toto vel in parte habeat potestatem substituendi semel, aut pluries ac substitutum seu substitutos hujusmodi revocandi, & procuratorem hujusmodi in se reassumendi toties, quoties ipsis, vel alteri eorundem visum fuerit expedire: Et generaliter omnia & singula alia faciendi, gerendi, dicendi, extendendi, procurandi, quæ veri vel legitimi syndici & procuratores facere possunt, & quæ ipsis a lege seu canone facere sunt concessa, & quæ ipsi constituentes et facere possent; si præmissis præsentibus & personaliter interessent, etiamsi mandatum exigant magis speciale, quam præsentibus est expressum. Promiserunt insuper dicti Domini, Præpositus & Decanus nomine sui, dictarum personarum Ecclesiæ præfatæ, nec non nobilis Bernardus de Buren, et strenuus Dominus Joannes de Valckenbergh miles nomine sui, & vasallorum prædictæ Ecclesiæ: etiam Henricus & Bado proconsules nomine sui ac Consulium, & civium civitatis Paderbornensis, nobis Notariis supra & infra dictis solemniter stipulantes & recipientes vice & auctoritate omnium & singulorum, quorum interest, seu interesse poterit, aut intererit quomodolibet in futurum, se ratum, gratum atque firmum perpetuo habituros, quidquid per dictos suos syndicos & procuratores ac substitutum seu substituendos ab iisdem, vel alteri eorundem actum, factum, dictum, gestum procuratumve fuerit in præmissis, seu aliquo præmissorum, relevando etiam, & relevari volendo dictos suos Syndicos, & procuratores, & substitutum, & substituendos ab iisdem, seu eorum aliquo, ab omni onere satis dando, iudicio sisti, & iudicatum

solvi, cum omnibus suis clausulis necessariis, & operativis sub hypotheca & obligatione omnium bonorum suorum præsentium & futurorum, super quibus omnibus & singulis sæpèdicti constituentes nomine sui & aliorum superscriptorum petierunt eis a nobis Notariis supra & infrascriptis unum vel plura publicum seu publica in meliori modo; & forma ad dictamen cuiuslibet sapienter confici instrumentum, seu instrumenta. Acta sunt hæc in civitate Paderbornensi in loco suprascripto, anno, indictione, die, mense, hora, & Pontificatu, quibus supra. Præsentibus ibidem discretis viris Henrico Allenhusen, & Wilhelmo Lippepringe Clericis Paderbornensis diocesis, testibus ad præmissa vocatis & rogatis.

Et ego Arnoldus Brandis Clericus Paderbornensis publicus Imperiali auctoritate Notarius, quia præmissis omnibus & singulis, dum sic, ut præmittitur, agerentur & fierent, una cum discreto viro Bertoldo Gossentorpe Clerico Paderbornensi diocesis suprascriptæ ad hujusmodi actum convocato, testibusque prænotatis præsens fui, atque omnia sic fieri vidi & audiui, ideoque præsens publicum instrumentum manu mea propria scriptum exinde confeci, quod signo, nomine & agnomine meis solitis & consuetis signavi in omnium & singulorum præmissorum fidem & testimonium requisitis.

Et ego Bertoldus Gossentorpes Clericus Paderbornensis diocesis publicus Imperiali auctoritate Notarius, quia præmissis omnibus & singulis, dum sic, ut præmittitur, agerentur & fierent, una cum discreto viro Arnaldo Brandis Clerico Paderbornensi suprascripto ad hunc actum convocato testibusque prænotatis præsens interfui, ac omnia & singula sic fieri vidi & audiui. Quare præsens publicum instrumentum, manu alterius, ut præmittitur, fideliter scriptum, & exinde confectum signo, nomine & cognomine meis solitis & consuetis signavi in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum rogatus & requisitus.

His inter se juratis, constituunt causam in Romano iudicio apud Collegium Cardinalium omnibus legum viribus



ribus & modis defendendam esse; nominantque in hanc rem syndicos & procuratores, quibus plena tractandi potestas his iisdem literis facta est.

Et Paderbornenses, postquam domi communi omnium ordinum conjuratione res suas firmarant, missis præterea ad vicina per Westphalam & Saxoniam Collegia Cathedralia literis ac Legatis, eorum patrocinia apud Pontificem opemque, sicuti a Moguntinis jam implorant, sollicitavere; ad quæ eo se pronius obtulere ex fraterno fœdere, quod & communis eorum causa ageretur, & rei iniquitas sponte moveret, ne quis ex simili Morfani dominatu suos quoque Episcopatus, & jura electionis ejusmodi machinationibus extingueret. Quapropter post Moguntinos scripsere hoc anno Hildesenses ad Eugenium Pontificem, quarum literarum illud exemplar est.

Literæ Capituli Hildesensis, sollicitantis apud summum Pontificem, ut conjunctionem Episcopatus Paderb. cum Colon. impediat.

Sanctissimo in Christo Patri Domino Eugenio Papæ Quarto, universalis Ecclesiæ summo Pontifici, nostro Dno Clementissimo, Oscula devotissima pedum beatorum Beatissime Pater vestræ beatitudinis devoti Oratores, Præpositus, Decanus & Capitulum Ecclesiæ Paderbornensis, nostri amici singulares, Nobis per certos suos Secretarios & eorum scripta specialia significarunt, qualiter Reverendissimus in Christo Pater & Dominus D. Theodoricus Archiepiscopus Colonienfis sibi & Ecclesiæ suæ Coloniensi Ecclesiæ Paderbornensem, quam ad dictæ Ecclesiæ Administratorem ex Sedis Apostolicæ commissione ad regendam & gubernandam sub manibus suis tenuit & possedit, sine eorum consensu & voluntate perpetuo futuris temporibus obtinuit uniri & incorporari, præterea præferam Ecclesiæ in redditibus & fructibus fore ita exilem; & hostium incursibus taliter esse devastatam & suppressam, sic quod proprium Episcopatum, qui antedictæ Ecclesiæ præesse posset, tenere & nutrire non valeret, eamque ad hæc nequaquam sufficere, taliaque coram sanctissimo piæ recordationis Domino nostro Domino Martino divina providentia Papa Quinto vestræ Beatitudinis immediate prædecessore diversimode fore ex hoc loco exponendum pro convesturali Es werden vel Es wird also geschehen seyn per certos ad hoc inductos ejus sanctitati fore scripta & relata. Ut igitur tali modo veritas non occultetur, sed magis elucescat, prælibati devoti vestræ Beatitudinis nobis attente supplicaverunt, Vestræ Beatitudini nostris scripturis præmissa per veritatem nobis notam manifestari; Et cum præmissa Ecclesiæ Paderbornensis in consiliis nostræ Ecclesiæ sit constituta, & una

inter solemniore Cathedrales Ecclesiæ Alemanniæ hucusque fuerit tenta, & reputata, ac fuerit per longa retroacta tempora per Duces, nobiles & Comites recta & gubernata, nec non fuerit plurimorum oppressorum circumvicinorum singulare præsidium & defensio, civitate notabili Paderbornensi, Oppidis & castris pluribus insignis fulcita, per nos non noscitur taliter exilis & devastata & suppressa, quin bene sufficiat pro propria notabili persona, Episcopo & Pastore, & Episcopum adhuc de Ducum aut nobilium profapia valeat nutrire & sustentare, & bene pro tali sufficiat; sic quod potius, videri nostro, si alteri Ecclesiæ unita existeret, deberet ab illa disjungi, quam per incorporationem & unionem conjungi. Quæ omnia, beatissime Pater, nos devotorum oratores ex desiderio prælatorum Dominorum Vestræ Beatitudini notificamus per presentes, supplicantes humiliter & devote, quatenus vestra Beatitudo de Apostolica benignitate dictam Paderbornensem Ecclesiæ velit illam sine unione ad alteram, ut a primæva sua fundatione fuerat, bene, ut creditur, per sexingentos annos & ultra, conservare, quæ alias læderetur, & re & nomine deperiret. Pro quo nos fideles vestri oratores una cum dictis Dominis, Præposito, Decano, & Capitulo Ecclesiæ Paderbornensis vestræ Beatitudinis, quam Deus longæve prospere conservare dignetur, ultra obedientiæ debita perpetue manebimus obligati Scriptum Hildesem, die sexta mensis Junii, nostro sub secreto, Anno Domini Mccccxxxi. Præpositus, Decanus, & Capitulum Ecclesiæ Hildesemensis.

In hunc modum cætera Collegia Canoniconum implorata, Halberstadtense, Osnabrugense, Mindenfe, Bilseldienfe, Huxtariense, Bultorfianum, & ipsum etiam Paderbornense scripsere ad Eugenium Romanum Pontificem; quorum omnium literæ in tabulario Collegii extant; & longum foret referre. Monasterienses haud consultum fuit advocare in patrocinium, quod eorum Episcopus per id tempus esset Henricus Morfanus, Theodorici Colonienfis Archiepiscopi frater.

His per motus Eugenius Pontifex communem hoc ipso anno dedit constitutionem, legemque, qua omnes ejusmodi conjunctiones Parochiarum & Ecclesiarum rescindit; quemadmodum id sese ad justa Paderbornensium postulata fecisse hoc diplomate proficitur.

Eugenius Episcopus Servus servorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam. Provisionis nostræ debet provenire

Constitutio Eugenii PP qua unio nes Parochiarum & Ecclesiarum rescinduntur.



Constitutio  
Eugenii PP  
qua unio-  
nes Paro-  
chiarum &  
Ecclesi-  
arum rescin-  
dantur.

venire subsidio, ut per apostolicæ dispo-  
sitionis arbitrium provide gesta litera-  
rum nostrarum merita attestacione pan-  
damus, ne quisquam, sui juris defen-  
sione latente, indebitis affici valeat mo-  
lestiis, gravaminibus, seu damnis. Du-  
dum siquidem cum nostræ innotuisset  
providentiæ, quod quamplures eatenus  
de diversis Ecclesiis tam Cathedralibus  
quam Metropolitanis, nec non Mona-  
steriis, prioratibus, dignitatibus, per-  
sonatibus, officiis, ac etiam ipsarum  
Cathedralium, & Collegiarum Eccle-  
siarum præbendis, parochialibus Eccle-  
siis, & aliis beneficiis Ecclesiasticis,  
cum cura, & sine cura, tam seculari-  
bus quam regularibus, exemptis & non  
exemptis, per prædecessores nostros fa-  
ctæ fuerant uniones, annexiones, et  
incorporationes, propter quas, si effe-  
ctum consequerentur, dissensiones et  
scandala succrescerent, animarum cura  
in illis, quibus illa immineret, negli-  
geretur, cultus diminueretur divinus,  
& multis posset præjudicium generari.  
His & aliis rationabilibus suadentibus  
causis, videlicet III Idus Martii, Pon-  
tificatus nostri anno primo, per quan-  
dam constitutionem nostram omnes  
uniones, annexiones, & incorporationes  
de Ecclesiis Cathedralibus, Metropoli-  
tanis, Monasteriis, dignitatibus, per-  
sonatibus, officiis, præbendis, parro-  
chialibus Ecclesiis, & aliis beneficiis  
supradictis, quocumque nomine cense-  
rentur invicem, seu Ecclesiis Cathedra-  
libus, & Metropolitanis, Monasteriis,  
mensis Archiepiscopalibus, Episcopali-  
bus, Abbatialibus, Capitularibus, &  
conventualibus, nec non dignitatibus,  
personatibus, officiis seu beneficiis Ec-  
clesiasticis quibuscumque, Apostolica,  
vel ordinaria auctoritate sub quibusvis  
colore, modo, & forma, vel expressio-  
ne verborum usque ad diem assumptionis  
nostræ ad summum Apostolatus  
apicem per quosvis prædecessores nostros  
factas, quæ nondum sortitæ fuerunt  
effectum, & ex quibus hic, in quo-  
rum commodum uniones, annexiones,  
& incorporationes hujusmodi emana-  
verunt, Ecclesiarum, Monasteriorum,  
prioratuum, dignitatum, personatum,  
& officiorum, præbendarum, parro-  
chialium Ecclesiarum, & aliorum be-  
neficiorum, hujusmodi pacificam pos-  
sessionem assecuti non fuerunt; nec non  
quæcumque concessiones & mandata de

hujusmodi unionibus, annexionibus,  
& incorporationibus faciendis, usque  
ad diem assumptionis prædictæ facta  
cassavimus, revocavimus, & annulla-  
vimus, nulliusque roboris fore volu-  
mus vel momenti, omnesque & singu-  
las causas occasione unionum, incorpo-  
rationum, & annexionum seu super  
illis & earum effectu coram quibuscun-  
que iudicibus, seu Commissariis, tam  
in Romana curia quam extra eam, ex  
commissione seu delegatione Apostolica  
ac delegatorum hujusmodi subdelegatio-  
ne introductas seu pendentes advocavi-  
mus, litemque illorum occasione & su-  
per illis quoscumque contingentes penitus  
extinximus, irritumque decrevimus,  
& inane, si secus super his a quoquam  
quavis auctoritate scienter & ignoran-  
ter contingeret attemptari. Cum au-  
tem super constitutione hujusmodi lit-  
teræ Apostolicæ confectæ non fuerint,  
sicut nuper pro parte dilectorum filio-  
rum, Præpositi, Decani, & Capituli  
Ecclesiæ Paderburnensis nobis exhibita  
petitio continebat, ipsi pro sui juris  
conservatione docere habeant de consti-  
tutione supradicta. Nos ne ipsi in hu-  
jusmodi per eos de dicta constitutione  
facienda probatione deficiant, & pro-  
pterea in hujusmodi subjure lædantur,  
providere volentes, volumus & aucto-  
ritate Apostolica tenore præsentium de-  
cernimus, quod præsentis literæ ad  
probandum plene constitutionem præ-  
dictam, prout superius, ubique suffi-  
ciant, nec ad id alterius probationis  
adminiculum requiratur; quinimo eis-  
dem præsentibus literis in iudicio &  
extra, ubique exhibitæ fuerint, vel  
ostensæ, quoad hujusmodi probationem  
stetur, & secundum eos iudicetur, ac  
si super constitutione prædicta hujus-  
modi Apostolicæ literæ confectæ forent,  
illisque stetur, si forent exhibitæ vel  
ostensæ. Nulli ergo omnino hominum  
liceat hanc paginam nostræ constitutio-  
nis & voluntatis infringere, vel ei  
ausu temerario contraire. Si quis au-  
tem hoc attemptare præsumperit, in-  
dignationem Omnipotentis Dei, & bea-  
torum Petri & Pauli Apostolorum ejus  
se noverit incursum. Datum Romæ  
apud sanctum Petrum. Anno Incar-  
nationis Dominicæ Millesimo, qua-  
dringentesimo, tricesimo primo, XVI  
Calend. Julii, Pontificatus nostri anno  
primo.

Fff

Hac



Hac Pontificis constitutione sententiaque perculsus Theodoricus Administrator, cum in Romano iudicio causam suam desperatam videret, qua qua erat mentis pertinacia, ad Basi-

leense Concilium appellavit; sed eo provocatorem Paderbornenses consecuti sunt, ut tertio ab hinc anno referretur.

## Annus Christi 1432.

Eugenii IV. Pont. 2. Sigismundi Imp. 23.

Theodorici Admin. Pad. 17.

*Alla Concilio Basileensi. Raynald in hist. Eccles. Pontifex Concilium Basileense vult trans. ferri Bononiam: ob. sistunt Julianus Card. & Theodoricus Arch. Colon.*

Procedebat interea ceptum anno superiori Basileense Concilium; in quo cum Patres decernerent Concilium Generale esse supra Pontificem, cui & ipse Pontifex subiectus sit, multaque alia, quibus Apostolicæ sedis auctoritas convellebatur, præscriberentur; haud immerito offensus indignatusque Pontifex primum laboravit in Concilio dissolvendo; quod & publico diplomate edixit. Deinde mutata sententia decernit Concilium Basilea Bononiam transferendum, ubi & ipse præsidere velit. Contra Patres obnixi, Basilea persistendum contendunt; nec sine ingentibus Reipublicæ Christianæ malis ac turbis mutationem illam fieri posse, cumprimisque, quod Hussitæ Basileam invitati sint ad concordiam cum Ecclesia ineundam. Hanc vero sententiam ante omnes acerrime tuebantur Julianus Cardinalis & Theodoricus Colonienis Archiepiscopus, ejus maxima tum erat auctoritas in Germania. Quare Pontifex tam ad Imperatorem quam Theodoricum Coloniensem Archiepiscopum perscripsit, hortando ne impedimento esse velint, quo minus Concilium Basilea Bononiam transferatur. Sed & Julianus Cardinalis & Theodoricus pertinacissime in omnibus restiterunt Pontifici; auctorque magnam partem postea etiam fuit Theodoricus fædi schismatis, quo Eugenio Pontificatus abrogatus, sublecto in ejus locum Amadæo Pseudopontifice, quem Felicem V. dixerunt. Id quo suo etiam malo & iusta Numinis pœna fecerit, docebunt turbæ civiles & intestina bella, quibus infeliciter jactatus est.

*Theodoricus bello Treverico implicitus non urget Romæ conjunctionem*

Bello deinde Trevirensi Theodoricus Archiepiscopus remisit contentionem cum Paderbornensibus, quod destinata ad concilium appellatione feliciora pro se expectaret, quam Romæ meditatus erat. Distrahebatque

Theodoricum simul negotium ex diffidio Trevirensi; quod tres adhuc æmuli de Archiepiscopatu Trevirensi decertarent armati, Sickius, Manderschedius, & Rabanus Spirensis Episcopus; quos inter potentium conspiratione validior Manderschedius traxit in partes Conradum Moguntinum & Theodoricum Coloniensem Archiepiscopos, Stephanum Bavarie Ducem, Adolphum Julie & Montium Ducem, aliosque Comites; quorum copiis confirmatus, quam audacter Treviros aggressus tam fortiter civium defensione repulsus est. Postremum, ut Trithemius inquit, Conradi Moguntini, Theodorici Colonienis, & Friderici Wormatiensis Episcopi collata in pacem opera, lis composita, & Rabano, quem Pontifex impostuerat, Archiepiscopi dignitas confirmata est.

*Ecclesia Paderb. cum coloni.*

Excessit & hoc anno Suederus Culenburgicus Ultrajectensis Episcopus, quocum de Episcopatu hæcenus decertarat Rudolphus Diepholdius. Atque is licet Martini V. sententia dejectus esset, quia tamen armis & studio popularium majorem Episcopatus partem invaserat, a morte Culenburgii omnem Episcopatus possessionem ad se traxit. Interim Canonici non pauci, quibus exosus erat Diepholdius, progressi in comitia, studio Theodorici Colonienis Archiepiscopi, & Henrici Monasteriensis Episcopi, elegere denuo Walramum Theodorici & Henrici fratrem, ætate quidem juniorem, sed integerrimæ vitæ, præstantisque doctrinæ Canonicum Agrippinensem, quem & Sigismundus Cæsar regalibus exornavit, Felix postea Pseudopontifex cum Concilio Basileensi approbavit, & Geldria, Hollandiaque Episcopum suum recepit. At Diepholdius nihil veritus arma & potentiam utriusque Episcopi, & factionis hujus, se auctoritate Eugenii Pontificis.

*Ecclesia Ultrajectensis mortuo Suedero Culenburgico, diversis factionibus sit obnoxia. Beke in hist. Ultraj. Cranz. lib. 11. Saxon. c. 27.*

*Valckenburgense Coenobium Crucigeris a Theodorico traditur.*



tificis in possessione Episcopatus constanter defendit, coegitque Walramum se Coloniam recipere. Monitus etiam Theodoricus Coloniensis Archiepiscopus a Pontifice, ne quæ suæ essent potestatis in constituendis Ecclesiarum Episcopis sibi præriperet, aut Concilio ac Pseudopontifici deferret.

Utli per hæc cura dicecesin quoque Paderbornensem complexus est Theodoricus Administrator Valckenhagensis Cœnobium in meliorem formam redigendo. Id enim Cœnobium postquam a Volquino Swalenbergensi Comite in suo comitatu conditum, dotatumque erat a filiis ejus Adolpho & Alberto, introductæ sunt Virgines ordinis Cisterciensis; quemadmodum supra a nobis ad annum Mccclvi relatum est. Incoluere per multos annos Virgines Cœnobium; post ubi per bella & spolia ad extremam paupertatem ruinamque venerunt, ultro Cœnobium detulere Episcopo suo, a quo ordinis Wilhelmitarum religiosi viri Moguntia evocati impostique; quos cum temporum iniquitas, & rerum inopia premeret, & hi ultro cessere, Cœnobiumque obtulere Theodorico Archiepiscopo Paderbornensis dicecesis Administratori; a quo hoc anno postulati Colonia ex ordine Crucigerorum viri religiosi, quibus Valckenhagensis Cœnobium excolendum traditur; id, quod hoc Archiepiscopi diplomate, in quo tota rei series exponitur, confirmatum est.

*Theodoricus Dei & Apostolicæ sedis gratia Archiepiscopus Coloniensis ac Administrator Paderbornensis Ecclesiarum ad perpetuam rei memoriam. Etsi ex debito pastoralis officii, humeris meis incumbente, quibuslibet Ecclesiasticis, & præsertim religiosis personis, pia humanitatis suffragia impendere teneamur; Nos tamen potissime obnoxios Deo devotis & religiosis, & his præcipue, qui spreta mundi gloria, ac terrenorum oblectationibus contemptis, sub rigore Ecclesiastico ac Monastico virtutum Domino jugiter famulantur, quosque libentius favore prosequimur ampliori, ut per illorum merita & pietatis opera, quæ per illos fiunt, crescat multipliciter nostra salus, & divinus cultus per amplius & salubrius nostris*

*temporibus augeatur. Et licet etiam non solum nova erigere, sed etiam vetera Monasteria reficere, & reparare valde sit laudabile, ut ibi priora innoventur beneficia, ubi priora fuerunt repetita obsequia. Sane igitur pro parte Deo devotorum religiosorum virorum, Bartholdi Wulff presbyteri, & Joannis Lanen conversi ordinis S. Crucis sub regula S. Augustini degentium, & domo conventuali Cruciferorum civitatis Coloniensis existentium exhibita petitio continebat, Quod cum ipsi zelo Dei, & devotionis accensi Monasterium in Valle liliorum, alias Valckenhagen, nostræ Paderbornensis dicecesis per bonæ memoriæ quondam Volquinum Comitem in Schwalenbergh, prout & quemadmodum veterum testimonio didicimus, in honorem Domini nostri JESU Christi atque intemeratæ B. Mariæ Virginis ejus Matris gloriosæ de bonis & rebus suis a Deo sibi collatis fundatum, atque pro religiosis puellis & Sanctimonialibus Ordinis Cisterciensium ad Deo serviendum ibidem in ordine Monastico institutum collatum & assignatum tunc habitabile, nunc vero, quod dolenter referimus, casibus fortuitis & malo statu patriæ ac incursum hostili intervenientibus, penitus desolatum & dirutum existat, reficere & reparare: Nec non inibi sub regulari habitu, signo vivificæ crucis assumpto, juxta regulam & instituta vivere sui ordinis, Creatori omnium & suæ Matri gloriosissimæ toto posse, divina opitulante gratia famulari proponant; Cum itaque sic accepimus ipsum Monasterium quondam per liberam resignationem Sororum & Monialium ipsius Monasterii, & de consensu illorum, quorum tunc intererat, derelictum & resignatum, ac deinde per nos religiosi viri Conrado Molitorum, Rolando, Henrico Bischoppeshusen, Conrado Holleman ac Henrico Vresen Laico converso Ordinis S. Wilhelmi de domo Conventuali in Witgenhusen Moguntinæ dicecesis tunc existentibus, & inibi Deo famulari procedentibus sub habitu & regula eorundem Conventuum collatum, traditum & assignatum, qui quidem Fratres, utpote per prius ipsæ sorores, terram eam fructiferam, in qua dictum Monasterium existit situatum, tanquam eis versam in falsuginem perborrescentes, atque perpendentes animis anxii & dolorosis,*

FFF 2

sepe

Ecclesia Paderbornensis

Ecclesia Ultrajectensis mortuo Sacerdote Calenbergico, diversis functionibus sit obnoxia. Beha in hist. Ultraject. Cranz. lib. II. Saxon. c. 23.

Valckenhagensis Cœnobium Crucigeris a Theodorico traditur.



sepe dictum Monasterium in Valckenbagen ad tantam egestatem & inopiam ultimate pervenisse per facultates & redditus ipsius pro sustentatione & necessariorum administratione, tam quarundam sororum per prius, & fratrum per posterius, minime sufficere possunt, propter quæ ipsæ quondam sorores dudum, & ex post nunc proximi ipsi fratres pie moti ad alia Monasteria sui ordinis, ubi quietius & devotius Omnipotenti Deo obsequium præstare valeant jam ingressi, sepe dictum Monasterium cum suis juribus, fructibus, redditibus, proventibus, & obventionibus, non vi aut metu repulsi quovis modo, non circumventi seu subornati, quocumque etiam pacto illicito secluso, matura deliberatione inter se præhabita, ne divinus cultus in eodem Monasterio penitus extinctus, & ipse locus sacratus permaneat desolatus, pure & simpliciter in manus nostras coram Notario, & testibus ad hoc vocatis resignarunt, & quilibet eorum resignavit. Unde nos ad supradicti Monasterii & loci reformationem, pro dicti divini cultus restauratione, pietate curæ pastoralis, ut præfatum, allecti, & attentis desiderii ad id aspirantibus, ne ficulnea infructuosa deinceps terram perniciosius occupet. Nos igitur diligenti inquisitione de & super præmissis præhabita, & de veritate ipsorum nobis per devotum Bernardum Schullenkromen Officiale curiæ nostræ Paderbornensis ac Capellanum nostrum, ac alias personas fide dignas debita relatione facta invenimus fore vera; Ideo hodie resignationem per dictos fratres Conradum Rolandum & Henricum Comisum, maximeque Priorem & conventum prædicti Monasterii in Wetzenbusen factam, ut præmittitur, per nos receptam & admissam, ratam & gratam habentes, cum venerabilibus viris Præposito, Decano, & Capitulo dictæ nostræ Ecclesiæ Paderbornensis tractatu Capitulari ac matura deliberatione præhabita, ac pleno consensu omnium illorum, quorum consensus merito ad id fuerat requirendus, accedente, uti digna relatione præfens factum per se quantum didicimus Monasterium sepe dictum per hodiernam liberam resignationem vacans, cum omnibus juribus, prerogativis, privilegiis, libertatibus, immunitatibus, bonis ac rebus mobili-

bus, terris, agris cultis & incultis, pratis, pascuis, sylvis, aquis aquarumque decursibus, viis & inviis, ac pertinentiis suis universis, quibus hæcenus dictum Monasterium gaudebat prænominatum, religiosis viris apud nos de vita & morum honestate aliisque laudabilibus probitatis & virtutum meritis per religiosum fratrem Joannem de Gorcb Priorem domus Cruciferorum Coloniensis ordinis prædicti, totumque conventum ibidem, ac a nonnullis aliis personis fide dignis multipliciter recom-mendatorum petita & obtenta dicti Prioris licentiâ, favore etiam, & pleno consensu venerabilis Patris Wilhelmi Generalis totius ordinis prædicti, prout nobis de omnibus & singulis præmissis plenaria fides facta exstitit, tradidimus, concedimus, assignamus, & offerimus, atque dictos fratres per libri traditionem, quem tunc in manibus tenebamus, investivimus, & investimus de eodem; ita quod ipsi dicto Monasterio, prout eis facultas suppetit, reformato egregiam, congruentem, & convenientem virorum Deo devotorum fratrum sui Ordinis conformatum, & maxime ejusdem religionis exigentiâ ibidem institutum vel alter eorum, cui hoc virtute sui status competet, instituat, Cujus quidem Monasterii regimen & gubernatio, ipsorumque fratrum visitatio, inquisitio, & correctio, atque totius Monasterii tam in spiritualibus, quam temporalibus administratio, nec non ibidem prælati sub nomine Priorum institutio, & destitutio apud eosdem fratres, & eorum Successores libere permaneant. Qui Prior Priori dictæ domus in hodie pro tempore existenti ac eorum Capitulo Generali quoad visitationem, inquisitionem, & correctionem secundum modum & formam ordinis eorum ac statutorum, subjectus existat; juribus tamen dictæ nostræ Ecclesiæ Paderbornensis, & nostris, ac Archidiaconi loci ipsius, atque ordinis ipsorum fratrum in præmissis omnibus semper salvis. Nec tamen prælatus, qui cum Monasterio præfuerit, coram aliis, quam etiam nobis, & Successoribus nostris Paderbornensibus Episcopis, aut illo, cui nos seu Successores nostri Episcopi Paderbornenses per nostras præsentem litteras hoc speciale duxerimus committendum, vel saltem, sede vacante, Capitulo Ecclesiæ nostræ Paderbornensis prædicto

Sigismundus  
ditu Ma  
jorum a  
Pontifice  
Imperator  
Romæ cor  
ronatur.  
s. Anon.  
p. 7.  
Chron. M.  
Belgi.  
Raynald. in  
hij. Eccl.

Bellam in  
ter Henri  
cum Ep.  
Monast. &  
Adolphum  
Com. Cli  
vensem.  
Trichem. in



dicto quovis modo valeat trahi, aut con-  
veniri. Sicque Monasterium in Val-  
ckenbagen supradictum de statu fratrum  
Ordinis S. Wilhelmi prædicti ad obe-  
dientiam fratrum Regularium dicti or-  
dinis S. Crucis de consilio, consensu,  
& beneplacito Præpositi, Decani, &  
Capituli Ecclesiæ nostræ Paderbornensis  
prædictorum in Dei nomine duximus  
transferendum, & transferimus per  
præsentes. Ut autem omnia præmissa  
& singula obtineant robur, firmitatem,  
& inconvulsa permaneant perpetuo,

præsentem paginam sigillo majori offi-  
cialatus curiæ nostræ Paderbornensis,  
quo ad præsens utimur munimine, una  
cum sigillo Capituli prædicti, quo utun-  
tur ad causas; jussimus roborare. Et  
nos Præpositus, Decanus, & Capitu-  
lum Ecclesiæ Paderbornensis prædictæ  
in signum nostri consensus omnium præ-  
missorum præsentem literam nostri si-  
gilli, quo utimur ad causas, fecimus  
appensione muniri. Datum Anno Do-  
mini MCCCCXXXII, Crastino B. Va-  
lentini Martyris.

## Annus Christi 1433.

Eugenii IV. Pont. 3. Sigismundi Cæsar. 24.

Theodorici Admin. Pad. 18.

Anno dehinc sequente xxxiii  
Sigismundus Cæsar denuo Italiam in-  
greditur, ab Eugenio Pontifice Ro-  
mam invitatus ad augustalia Imperii  
insignia ritu majorum accipienda, sub-  
missi obviam Cardinales, qui Viterbio  
splendido comitatu, effusaque ingenti  
populi occurrentis multitudine, XXI  
Maji in urbem introducere. Ac post-  
quam in gradibus Basilicæ S. Petri ad  
osculum pedis & Pontificis amplexum  
est admissus, ultimo Maji, die Pen-  
tecostes sacro, augustalibus ornamen-  
tis decoratur; peractaque coronatione,  
cum Pontifex equum conscenderet,  
stratoris etiam obsequio functus, Pon-  
tificem ad Vaticanum palatium deduxit,  
optimus pro majorum pietate & reli-  
gione erga Apostolicam Sedem Impe-  
rator; id quod alio mox illustri factò  
commonstravit. Nam cum in Italia  
intellexisset, uti Naucerus scribit,  
Patres Basileæ exauctorationem Euge-  
nii Pontificis moliri, podagra licet con-  
flictatus, itineri, dissidium composi-  
turus, se commisit; tantaque celeri-  
tate advectus fuit, ut ante in Concilio  
sit visus, quam eo venturus audiretur.

Per hanc Imperatoris absentiam  
Saxonia Westphaliaque tumultuariis  
bellis jactari non desuit. Nam Hen-  
ricus Monasteriensis Episcopus &  
Adolphus Clivensis, bello inter se  
commisso, mutuis incurfionibus &  
depredationibus agrorum sese exagita-

bant; & quia Marcani nobilitas arma  
pro Clivenfi sumpserat, ad Luppianum  
cumprimis fluvium, qui fines utrius-  
que Principis dividit, decertatum est  
alternis populationibus; quas inter  
Werne, dicecesis Monasteriensis Op-  
pidum, flammis ab Henrico Holtio  
injectis magnam partem deflagavit.

Arfit & bellum in vicina nobis  
Hassia inter Conradum Moguntinum  
Archiepiscopum & Ludovicum Hassiæ  
Landgravium, ex pristinis dissidiis &  
recenti Hassorum insolentia resuscita-  
tum. Adlegerat Joannes Fuldensis  
Abbas Hermannum Buchenavium Cœ-  
nobitam Adjutorem. Is postquam  
muneri admotus, cœpit Abbatem ex-  
trudere ex castris & imperio, seque  
Dominum ante fata Abbatis ferre. Ob  
hæc questus Abbas, cum Moguntino  
Archiepiscopo, justum ejus patroci-  
nium impetravit; a quo & Fulda ob-  
fessa. Buchenavius quo se firmaret,  
implorat Thuringiæ & Hassiæ Land-  
gravios; & hi, tanquam sua causa age-  
retur, Archiepiscopum aggressi in  
campo Munsterfelt prælio vincunt, &  
magna clade illata in fugam compel-  
lunt. Bellum id quoque mutuis de-  
predationibus, & concitatione West-  
phaliæ, ad Frislarium, veterem Archi-  
episcopi in medicullio Hassiæ urbem,  
protractum, sopitumque Cardinalis  
Legati Apostolici auctoritate, & par-  
tium compositione.

Sigismundus  
Cæsar Ma-  
jorum a  
Pontifice  
Imperator  
Romæ cor-  
onatur.  
S. Anton.  
F. 7.  
Chron. M.  
Belgii.  
Raynald. in  
Hist. Eccl.

Chron.  
Spanh.  
Dilich. in  
Chron. Hass.  
Serrar. in  
Mogunt.  
Chron. Mos-  
gunt.  
Brouwer. in  
Antiq.  
Fulden. l. 4.

Et inter  
Conradum  
Archiep.  
Mogunt.  
& Ludovi-  
cum Land-  
gravium  
Hassiæ.

Bellum in-  
ter Henri-  
cum Ep.  
Monast. &  
Adolphum  
Com. Cli-  
vensem.  
Trithem. in



Annus



## Annus Christi 1434.

Eugenii IV. Pont. 4. Sigismundi Cæsaris 25.

Theodorici Administratoris Pad. 19.

*Xerobius  
in chron.  
Tremou.  
Westhorius  
in chron.  
Tremou.  
Stangefol.  
l. 3. circ.  
Westphal.  
Theodori-  
cus arget  
coniunctio-  
nem utrius  
que Eccles-  
iæ Paderb.  
& Colon.  
primum  
hostiliter  
Dioecesi  
Pad. inva-  
dendo.*

*Deinde cau-  
sam ad con-  
cilium Bas-  
ileense de-  
ferendo.*

At pertinaciter anno proximo Colonienſis Archiepiſcopus Paderbornenſes aggreſſus; & primo quidem armis. Nam per id tempus, ut Seilerus in Chronico Pymontano ex aliis auctoribus tradit, Theodoricus Archiepiſcopus una cum Lippienſi Comite imploratus a Joanne Comite Spiegelbergio adverſus Duces Brunſwicenſes; prælioque ad Rintelam commiſſo, omnia ad Viſurgim conturbata fecere. Qua armorum opportunitate, ut Tremonienſis quidam ſcriptor in annalibus ſuis retulit, concitata totius Ducatus Weſtphaliæ nobilitate, tractaque in ſocietatem belli Colonienſi urbe; armatus Theodoricus Paderbornenſem Dioeſin intravit: expugnataque Lipſpringa, oppido & caſtro Capituli Paderbornenſis, complures alias arces hoſtiliter occupavit; tanquam minis & vi adactus ordines in conſenſum conjunctionis, quam cum utraque Eccleſia meditabatur. Verum cum imoti adhuc ſtarent Paderbornenſes, ſatisque adverteret Archiepiſcopus, vicinos Principes & Collegia Cathedralia armatum pro Paderbornenſibus patrocinium ſuſcepſiſſe, ac Romæ ſibi apud Eugenium Pontificem omnia præcluſa eſſe; aliam conſiliorum viam ingreſſus, omnem deinde cauſam ad Patres Concilii Baſileenſis devulit, multis argumentis fictè ſpecioſeque in medium productis, quibus conjunctionem Paderbornenſis Eccleſiæ cum Colonienſi Patribus ſe perſuaſurum credebat. Juvat nunc ipſas Archiepiſcopi literas, quas poſteritas a nobis, & rei, quæ controvertitur, gravitas deſiderat, hic ad certiorẽ fidem proferre in medium.

*Reverendiſſimus, Reverendisque Patribus, & venerabilibus Dominis, in ſacroſancta Baſileenſi Synodo congregatis, Dominis & amicis percariffimis Sacroſanctæ Baſileenſi Synodo in Spiritu ſancto legitime congregatæ, univerſalem Eccleſiam repreſentanti, Theodoricus Dei gratia Archiepiſcopus Colonienſis, ſacri Romani Imperii Princeps Elector, & per Italiam Vicecan-*

*cellarius, Weſtphaliæ & Angariæ Dux, Apoſtolice Sedis Legatus, reverentiam debitam & devotam. Rmi Rm Patres, propter diuturnas guerrarum turbines, quos inteſtina clade obice a longa ætate Eccleſia Paderbornenſis pertulerat, cum deſperatis rebus illi undique præſidia deſeciſſent, ac crudeli congreſſu decertaret cum antiſtite clerus, Laic. vero vulgus voto diſiſo diſperſum partibus hinc inde ſaveret; pernicioſa adeo terræ & dioceſi illi plaga accrevit, quod invaſa ſeditione intranea, tellus etiam ab cæteris pro libito vaſtaretur. Unde nutuis jaculis membrorum & capitis univerſa corporis harmonia tabeſcens adeo ſternere- tur, ut pene careret incolis patria, & incendiolorum voragine donniciliis deſtituta ea tempeſtate non ſolum civilibus & ſuburbanis, ſed nec ſacris ædibus parceretur; nihil enim, Rmi Rmque Patres, contuentibus patriam occurrebat, quam deſert. & --- ruinarum veſtigia, vepres & arva latiffima cultura omni orbata; videbantur enim ſe primo --- quandam vaſtiſſimam Trojam, aut Babylonis reliquias in ipſis ----- Cum vero Capitulum prædictum Paderbornenſe longo certamine contra Præſulem feſſum fortunam meliorem timeret illius, qui magnificum Ducem Montenſem fratrem & inclitos multos favoribus attraxerat opportunis, quamvis penititudine ſera finale ſibi & patriæ excidium metuens, creſcente illi diem calamitarum procella, ad me & Colonienſem Eccleſiam veluti prout tunc proficiebatur ad fiduciam anchoram ſuppliciter recurrerebat, patriæ me tutorem contra domeſticos hoſtes iſtantiffime poſtularet. Verum licet eo tempore gravibus æmulis & guerris Colonienſis Eccleſia vexaretur, nec commode rebus propriis intentus alienis poteram otari, diuturna repulſa ipſorum iſtantiam repellebam, ut tandem cum nihil inciolatum rapinis aſſeſſet, quod raptoribus & hoſtibus exteris & intraneis in ſpõlium occurrere poſſet, coacte penuria & fame armati & proceres loca meæ dioceſis eis vicina rap. --- incurſibus mole-*



molestabantur, unde ratus fore tutius vicinam patriam protegere, quietam & pacificam facere, quam inimicam sufferre, aut exterminio dare, & metuens, ne favore guerra lassati in magnificum ducem Montensem fratrem electi eorum mihi tunc & Coloniensi Ecclesie adversantem intenderent, sic quod juncta illi Paderburnensis patria me & Ecclesiam meam fortius perturbaret, indefessis Capituli & patrie instantiis inclinatus tutoris officium sumpsi, rebus illius Ecclesie & patrie publicis & privatis sinceritate amica intendens, adversum enim eis Ducem Wilhelmum, ut praefertur, eorum electum ex ferocissimo hoste placatum faciens, pacem cum eo illis emi viginti trium millium precio florenorum de aere Coloniensis Ecclesie exhausto, vicinosque Principes & Dominos Ecclesie & patrie Paderbornensis molestos, qui fines eorum depopulabantur jugiter, muneribus & donis permaximis, ac foederibus, sanctionibus adeo mihi devinxi, quod ab eo tempore optima & secura pace fruatur, nisi quod ipsi sepe pact. infractis etiam sponte infringant, quam semper laboribus & impensis per me & meas reintegrare oportet. Interea priusquam ingenio & solertia mea adversantia singula pactata fuissent, videns Capitulum praelibatum multo proficere, quod me tutore pace optima potiretur, dubitans ne per novi provisionem amittitis ab illa rebus mutatis discederet, per multa temporis intervalla me simul cum Oppidanis & militaribus accuratissime prosiligavit, ut eadem consensum, quod per Pontificem maximum tunc Johannem XXIII illa mihi Ecclesia ex tutore administrationis titulo traderetur ad vitam. Cunque per spectabiles nuncios suos Capitulum praedictum assentiente patria impetrasset mihi non roganti, non sataganti, non operam danti, administrationis praedictae bullas allatas per suos alacriter tradiderunt, & exercitui pro patria eorum tuenda praesidentem deductum obvius crucibus & sacris reliquiis cum juramento obire, & fidelitatem praestantes, a quibus militia & patria nullo modo discederet, tanquam patrem patrie in Pastorem & Dominum receperunt. Tanta quoque voluptate unusquisque status reffectus est, propter habundantiam

tiam pacis, quae eis quotidie concresecbat, quod unionem illam, quam cum Coloniensi Ecclesia ad vitam meam contraxerat, brevi spatio vitae hominis deficere ambigens, firmum tractatum facerent, & consensum darent per literas Capituli sigillo munus manendi apud Ecclesiam Coloniensem uniri, & ----- ab obitu meo annis centum complendis absque Episcopo proprio optantes hac Apostolica & Concilii Constantiensis auctoritate firmari; dicebant enim a certo ---- eis impossibile fore proprium sustentare Episcopum, alodiis destructis, & munimentis Episcopalis mensae aut deperditis aut pignoribus permaximis obligatis, quae si redimerentur in integrum, non manerent Episcopo pro sumptibus ad numerum sex florenorum annuatim, unde oportet cum egestate fore mendicum, nisi vellet subditorum & vicinorum rapinis insistere, unde tam fructuosa pax facile posset infringi, & haec omnia ipsi Johanni tunc Romano Pontifici ac sacro demum Constantiensi Concilio ac invictissimo Principi Domino meo gratiosissimo Imperatori moderno, tunc Romanorum Regi, per Capituli literas apertissime profiteres per suos instanter orarunt, quatenus me administratore, ut supra scribitur, potirentur. Neque quidem tempore mei introitus ad administrationem praedictam castrum erat, aut municipium aliquod Episcopalis mensae, quod non foret super denario uno in quindecim denariis pignoribus obligatum. Ulterius ut mea ad eos pietas magis claresceret, octo millia florenorum de Camera Archiepiscopali tradita exposita manualiter tradidi Capitulo memorato, antiquum debitum quantando, quo olim mea illi tenebantur Ecclesia, pollicentibus eis literis & sigillis sub jurejurando dictam summam solum ad redemptionem bonorum Episcopalis mensae, vel partis ipsorum exponere, licet demum juramenti immemores in proprios illos usus vertissent; nec hoc tacentibus, quod pro reis & expeditionibus multiplicibus, & armatorum stipendiis, sine quorum potentia patriam tutari non poteram, summam ultra triginta millium florenorum, praemissis exceptis de Camera Ecclesie Coloniensis ad Capituli instantias expendi voventis literis & sigillis se summam praedictam Ecclesie meae fideliter

Et



Et integraliter soluturos. Ejus promissi gratia, quia ego castrorum Capitaneis Et custodiibus juramento eis dari sueto juxta consuetudinem Paderbornensis Ecclesiae de non resignando fortalitiis de manu Ecclesiae Coloniensis, nisi debito illi prius soluto, addidi, accusor veluti illicitorum Et insuetorum juramentorum praedictis officialibus adinventor. Ad hoc Rati Patres me fides Ecclesiae meae promissa coegit, ne ipsius retento thesauro conspiratores me a patria propulsissent. Impingunt mihi Rati Patres praetensis quereis, quod Paderbornensem Ecclesiam incorporari perpetuo Coloniensi Ecclesiae impetraverim, quod est potius ad ipsorum acta praeterita retorquendum; felicitis enim memoriae Martinus Papa quintus examinato diligentius Ecclesiae statu, Et viso, quod non solum possent ammodo cum honestate sustentare Episcopum, ac quod debitis Coloniensis Ecclesiae difficiliter satisfaceret, Et intellecto Capituli Et patriae voto de stando apud Coloniensem Ecclesiam annis centum, providit prudenter Et decrevit sagaciter melius fore dictam Ecclesiam Paderbornensem Coloniensi uniri Et incorporari, quam centum annorum curriculo ministrari; tollebat enim inde statum ambiguum Ecclesiae memoratae, Et illam fortiori capiti adjungebat, ut sic paci ejusdem perpetuo provideret, incorporationem illam, Rati Patres, digeste Et mature summus Pontifex declaravit. Militia Et Oppida Et Barones, Praelati Et de Clero pars sanior Paderbornensis Ecclesiae per suas literas acceptarunt, Serenissimus Dominus meus Imperator illi adhaesit, Et regalia mihi Et Ecclesiae Coloniensi concessit; per veram Et realem possessionem dicta incorporatio suum est sortita effectum, nec sub clausula generali revocatoria per Dominum Eugenium Papam facta intelligitur annullata; quod si quorundam praesumptio, qui nomine Capituli Paderbornensis callide pacem illius Ecclesiae perturbare nituntur, incorporationem praedictam moleste sufferant, nihil, Patres amplissimi, profecto quam justitia, quam pax, quam honestas Reipubl. illos ad iracundiam concitarunt, praesens enim antistites, quos captivare, maximisque dare convitiis assuebant, potentia debiles nulla obedientia venerantes, quorum similes habere affectum ad illicita, ut communis foret

Clerico Et Laico galea Et rapina Et homicidio pollutam gestare coronam liceret. Quae quia detestatus ad religionis illas metas conabar abducere coram vestro sanctissimo cetero virtutem Et meam famam honoris deturbare procurant. Idcirco vestram sanctissimam concionem deploro humiliter, filialiter Et devote, quorum super praemissis Et omnibus statum meum Et Ecclesiae meae concernentibus honor. Albertum Varentrap Official. Coloniens. decretorum, Henricum de Eypell, S. Severini Coloniens. Legum, Tilmannum de Lins S. Florini Consuetariae Praepositos decretorum Doctores, Et strenuos ac nobiles viros, Rolmannum de Dadenberg militem, ac Johannem de Gunenberg Dominum in Landtsron Ambassiatores Et Consiliarios meos Basileae existentes benigne Et favorabiliter audire dignemini, scriptis Et actis sanctam synodum informaturos suppliciter deprecando, quatenus dignetur synodus sancta me Et Coloniensem Ecclesiam nostris conservare in juribus, Et auditis Et examinatis per eos Praepositis litigiorum oclusis ambagibus adversariis silentium imp. ----- ac ad obediendum Sanctae Romanae Ecclesiae institutis, Et mihi inducere; difficile enim nobiles Et militia Coloniensis Ecclesiae, qui pro reformando Paderborn. Ecclesiam vitam exposuere Et bona, jam rebus integris ere exposito Et jure Ecclesiae privaretur, unde possent acerbiora scandala Et discordiae eminere. Valeat justa sanctissima congregatio, cui me Et Ecclesiam meam filialem recomendo. Datum in castro meo Poppelsorp, mensis Maji die quinta, sub sigillo, Anno Domini Mccccxxxiii.

His Archiepiscopi literis ad Patres Concilii perlatis, expensisque diligenter, ne quid in re tanti momenti praecipitarent, aut in aula Pontificis incaute sibi quicquam obrudi finerent, scripsere Concilii Patres ad Paderbornensis Collegii Canonicos atque ordines; transmissoque literarum exemplari, quas Archiepiscopus ad Concilium dederat, mentem eorum responsumque experire. Paderbornenses etiam haud parum percussi causam hanc ad Concilium deferri, in quo magnopere patronorum animos Archi-

Literz Paderbornensium ad Concilium Basileense, quibus ostendunt, equum non esse, ut Ecclesia Paderbornensis unia tur.



Archiepiscopum occupasse verebantur; læti tamen erant, se audiri prius, ac tempus spatiumque dari, quo rationes reddere & Concilio satisfacere possent. Quapropter hasce literas ad Concilii Patres reddidere; quibus ita ad singula modeste respondent, ut simul Archiepiscopi artes fraudesque egregie detegant.

Literæ Paderbornensium ad Concilium Basileense, quibus ostendunt, æquum non esse, ut Ecclesia Paderbornensis unia

Reverendissimi Patres & Domini, pro brevi & summaria informatione vestrarum Reverendissimarum Paternitatum, qui in materia cujusdam assertæ unionis & incorporationis de Ecclesia Paderbornensi Ecclesiæ Colonienſi, ut dicitur, factæ, mandastis causas assignari, quare hujusmodi asserta unio sive incorporatio fieri seu effectum sortiri non debeat, cum omni humilitate damus & exhibemus infraſcripta, quibus visis & attentis V. R. Paternitatibus clare constabit, & luculenter apparebit, dictam præſentem unionem & incorporationem, si qua sit, merito revocandam, cassandam, annullandam & irritandam fore, ac revocari, cassari, annullari, & irritari cum omnibus inde secutis & attentatis debere. Et primo dicimus, proponimus & protestamur, quod per præſentem, & quamcunque aliam comparitionem, sive actum, per nos factam, seu factum, vel in antea quomodolibet faciendam, seu faciendum, non intendimus, neque volumus ab appellatione pro parte Dominorum Præpositi, Decani, & Capituli atque personarum Ecclesiæ Paderbornensis, ac aliorum ipsis adhaerentium, ab ipsa præſentia unione & incorporatione ad sanctissimum Dominum nostrum Papam male informatum, sed melius informandum interposita resili. - - - Primo ista unio præſentis, si qua est, expedita est cameraliter, & non in Consistorio Sanctissimi Domini nostri, in quo tales causæ consueverunt tractari, parte vocata & audita, & quod pejus est, nondum potuit haberi copia ipsius unionis de registr. Est autem hæc præſentis unio facta, Capitulo Ecclesiæ Paderbornensis, & aliis, quorum intererat, ad hoc non vocatis, neque consentientibus, imo penitus ignorantibus. Item cum Ecclesia Paderbornensis sit provincie Mogunt. debebat vocari etiam Capitulum Moguntin. nec sufficit assensus Do-

mini Archiepiscopi Moguntin. sine assensu sui Capituli.

Præterea per sexingentos annos, & ultra, Ecclesia Cathedralis, prout hodie est, bene & sufficienter dotata ad sustentandum Episcopum, & Pastorem suum proprium habuit, prout habet proprium suum territorium, propriam diœcesin, Oppida murata multa, atque castra, fortalitia diversa, & pluralitatem villarum munitarum, & etiam militiam, & diversa dominia, atque quamplures Comites & Barones, ac plures milites & multos militares, & alios nobiles sub se, & etiam plura loca murata, & munita popularia, & adeo fortia, quod hodie si non esset constituta sedes Episcopalis in civitate Paderbornensi, merito deberet hodie, si non esset sedes Episcopalis ibidem, constitui, erigi, & collocari. Non ergo debet supprimi tam solemnns Cathedralis Ecclesia contra mentem & intentionem Regum, Imperatorum, & Reginarum, qui eam fundarunt & dotarunt. Insuper ex antiquis statutis ejusdem Ecclesiæ Paderbornensis & privilegiis a centum annis, & ultra, in ea nullus receptus fuit, aut etiam admittitur in Canonicum Capitularem ejusdem Ecclesiæ, vel ad aliquam dignitatem in eadem, nisi fuerit, aut sit de Baronum, aut nobili, aut saltem de militari genere procreatus ex utroque parente, aut alias vir maturus, Doctor, vel Licentiatus in jure Canonico, vel civili, seu magister in sacra Theologia.

Est præterea Ecclesia Paderbornensis in civitate Paderbornensi constituta in loco bene solemnns & populoſo, forti, murato & bene munito, nec subest aliqua rationabilis causa quare debeat supprimi, & Ecclesiæ Colonienſi uniri; non enim propter paupertatem Ecclesiæ Colonienſis, quæ valet annuatim Cmillia, nec propter paupertatem Ecclesiæ Paderbornensis, cum sit sufficienter dotata, & multos habuit Episcopos nobiles & illustres, quos notabiliter & solemniter sustentavit. Est etiam absurdum quid, quod tam notabilis Ecclesia, prout fuit & est præſens Paderbornensis Ecclesia, ad preces unius duntaxat, & ex assumpta occasione, scilicet de consensu alterius, deberet sic supprimi & imingui, & in

Ggg

Colle.



Collegiatam redigi, sedesque Cathedra-  
lis ita deleri, seu cassari, & ejusdem  
Ecclesie honor alteri Ecclesie sine ma-  
xima necessitate applicari, & illud  
cum dissimulatione sic transiri, utique  
nullatenus apud rationabiles & mansue-  
tos quovis modo debet admitti, neque  
per quempiam rationabiliter tolerari.

Et deinde, quia in eadem bulla,  
seu ejus impetratione asseritur, sugge-  
stum fuisse Ecclesiam Paderbornensem  
fore in redditibus & proventibus annuis  
adeo destitutam & depauperatam, quod  
ejus redditus & proventus annui ultra  
quadringentos florenos auri de Camera  
annuatim se non extendant, quod ve-  
ritate caret, quinimo ejus redditus &  
proventus annui prædictam taxam in  
duplo, & ultra, annuatim excedunt,  
salva alienatione & impignoratione,  
quorundam castrorum, locorum, &  
redditorum annuorum, quam reveren-  
dus Pater Dominus Theodericus mo-  
dernus Archiepiscopus Coloniensis tan-  
quam Administrator & Commendata-  
rius Ecclesie Paderbornensis, prætextu  
cujusdam prætenſe commendæ, per  
quondam Dominum Johannem Papam  
XXIII post occultum ejus a Concilio Con-  
stantiensis recessum taliter qualiter sibi  
concessæ & factæ, fecit & alienavit  
seu impignoravit absque requisitione &  
consensu Capituli Ecclesie Paderbornen-  
sis, imo ut præsumitur contra ejus ju-  
ramentum per eum Ecclesie & Capi-  
tulo Paderbornensi in sua admissione ad-  
ministrationis ratione commendæ præ-  
dictæ præstitum, ejus reverentia tamen  
semper salva, & sic utique ex falsa sug-  
gestionem de annuo valore ipsius Ecclesie  
Paderbornensis, & ultra dimidium ju-  
sti & veri, & imo ad duplum ejus.  
Quare merito hujusmodi unio præten-  
sa, si qua sit, rescindi, seu tolli & an-  
nullari, aut revocari jure & æquitate  
suadente debet.

Insuper descendendo ad speciem,  
idem Dominus Theodericus Archiepi-  
scopus, postquam fuit præfectus Admi-  
nistrator Ecclesie Paderbornensi, insi-  
gne castrum cum Oppido Dringenberg  
murato & munito inter alia oppida &  
castra ejusdem Ecclesie, & in quo pro  
tempore Episcopi Paderbornenses pro  
majori parte temporis consueverunt fa-  
cere veram personalem residentiam, pro

& ex eo, cum fuerit & sit cum pleno  
dominio, & proprietate Ecclesie Pader-  
bornensis, & pro tempore Episcopi Pa-  
derbornensis ipsius in spiritualibus &  
temporalibus, præfatus vero Dominus  
Theodericus Archiepiscopus idem castrum  
cum Oppido & ejus districta, etiam  
absque requisitione Capituli, & eo non  
consentiente, impignoravit pro magna  
pecuniarum quantitate jam ante plures  
annos, & fortassis, nisi super hoc per  
Dominum nostrum Papam providea-  
tur consulte, etiam in perpetua aliena-  
tione castrum & oppidum prædicta re-  
manebunt, fertur enim in publico,  
quod ipse Dominus Archiepiscopus ar-  
migerum, in quem transtulit hujusmo-  
di castrum cum oppido, strinxerit ad  
insolitum juramentum, ut puta, jura-  
re fidelitatem Ecclesie Coloniensi, &  
ejus pro tempore Archiepiscopo, nihil  
enim penitus exprimens in hoc de fide-  
litate Ecclesie Paderbornensis, aut illius  
pro tempore Episcopo & Capitulo.

Item est aliud castrum notabile mu-  
ratum, munitum & forte, appellatum  
castrum to den Nyghenbuse, sive ad no-  
vam domum, in quo etiam idem Do-  
minus pro tempore Episcopus Pad. suam  
consuevit facere personalem residentiam  
propter vicinitatem ejus cum civitate  
& Ecclesia Pad. quod etiam castrum ir-  
requisito Capitulo & eo inconsulto im-  
pignoravit seu alienavit, etiam cum si-  
mili constrictione juramenti, ut fertur.  
Considerent modo R. P. V. si idem Do-  
minus Theodericus Archiepiscopus ser-  
vaverit bene contenta in bulla Commen-  
dæ suæ, aut ultimæ videlicet unionis  
prætenſe de non alienando ab Ecclesia  
Pad. immobilia & stabilia, aut etiam  
mobilia pretiosa, ut ipse Dominus Theo-  
doricus Archiepiscopus ponderaverit ver-  
ba juramenti sui solemniter præstiti, fi-  
delis esse Ecclesie Pad. ubi per ultimam  
bullam videtur intendere, quod Domina  
supprimatur, & ex ea constitutur an-  
cilla. Patet ergo etiam per præmissa,  
quod culpa ipsius Domini Archiepiscopi  
Ecclesia Pad. est in fructibus diminuta,  
Placeat ergo, Reverendissimi Patres,  
super præmissis recipere informationes,  
& illis receptis, fideliter, sicuti firmiter  
speramus, referre Sanctissimo Domino  
nostro, ut Ecclesia Pad. maneat in sta-  
tu suo, & compellatur Dominus Ar-  
chiepiscopus, ut castra & oppida per  
eum



eum sine consensu Capituli impignorata redimat & Ecclesie restituat.

Item dicitur contineri in dicta prætensa bulla assertæ unionis & suppressionis Cathedralis & Ecclesie Paderb. eandem esse taxatam in Apostolica Camera ad centum florenos auri de Camera, & ejus redditus mensæ Episcopalis ascendere ad quadringentos similes florenos ad mulcendum Principem, ut annueret unioni & suppressioni, & dolose tacuit ille, qui non habuit ignorare, ex quo præfuit Administrator Ecclesie Paderbornensis quindecim annis & ultra, quod ipsa Ecclesia Paderbornensis abundabat tot & tantis castris & oppidis muratis atque munitionibus & villis, & etiam abundavit, & abundat multitudine nobilium & armatorum vasallorum ejusdem Ecclesie, & sub qua etiam revera plures magni nobiles, inno Duces, Landgravius Hassiæ, & quam plures Comites & Barones eidem Ecclesie Paderbornensi juramento fidelitatis astricti sunt jure vasallano, ratione castrorum & honorum, quæ possidet intra & extra diocesim Paderbornensem.

Et ut de his tangatur exemplum, nam immediatus prædecessor ipsius Domini moderni Archiepiscopi Colonienfis quondam Fridericus tunc Archiepiscopus Colonienfis causante temporis malitia, aut suadentibus adversis eventibus, odioque & rancore per eum contra Ecclesiam Paderbornensem præconcepit, captata sibi temporis opportunitate, prout putabat, animo invadendi Ecclesiam Paderbornensem, ac subditos ejusdem Ecclesie damnificandi, idem quondam Dominus Archiepiscopus congregavit sibi validum exercitum armatorum forte in numero M & V. C. equitum, & etiam CCCC Balistariorum cum alia Comitiva eis hostiliter intra vit diocesim Paderbornensem, quærens subditos Ecclesie Paderbornensis & eorum bona invadere, & eorum oppida, castra & villas incendio concremare, & spolia atque captivos abducere, quæ subito percipiens tunc electus Ecclesie Paderbornensis cum ejus vasallis & subditis in continenti se aggregarunt, quærentes modum resistendi, & cum adjutorio Dei resistendo adversariis dictam multitudinem armatorum dicti quondam Archiepiscopi quasi totam seu ma-

jorem partem in sua diocesi Paderbornensi detinuerunt captivam, ita quod ipse tunc quondam Dominus Fridericus Archiepiscopus cum paucis personaliter vix evasit, de quibus etiam debet recordari ipse Dominus Theodericus modernus Archiepiscopus Colonienfis, si saltem tunc fuit in patria, cum hæc res gesta sit circa spatium viginti annorum, vel modicum ultra, et plures adhuc superstites sunt in humanis, qui eidem conflictui inierserunt. Non ergo debuit impetrans in prætensa unione suggerere Romano Pontifici Ecclesiam Paderbornensem fore ita exilem, cum revera diocesis Paderbornensis in fructibus superabundet, prout notum est omnibus de patria ejusdem diocesis, & quam pluribus aliis de partibus circumvicinis existentibus.

Ea forte quærens hujusmodi unionem & suppressionem Cathedralis Ecclesie voluit bona, castra & oppida ejus distrabere seu impignorare, ut posset eam exilem dicere, & citius suppressionem Ecclesie Cathedralis obtinere.

Item & ex eo merito revocanda, cassanda, irritanda & annullanda est eadem unio seu incorporatio prætensa, quia facta est citra & præter consensum & assensum Dominorum, Præpositi, Decani, & Capituli ipsius Ecclesie Paderbornensis, imo eis nescientibus & ignorantibus, & ad hoc minime requisitis, & simili modo præter consensum Dominorum Decani & Capituli ipsius Ecclesie Moguntinensis, cui Ecclesia Pad. jure metropolitico est subjecta, imo eisdem etiam ignorantibus, nescientibus, & irrequisitis fuit & est obtenta, de quorum tamen omnium & singulorum per eandem prætensam unionem agitur præjudicio, detrimento, gravamine & destitutione, & depressione perpetuus Ecclesie Paderbornensis.

Item nec etiam ea de causa prætensa incorporatio sive unio locum sibi vindicare habet, quod ipsa Ecclesia Paderbornensis ad tantam devenerit depressionem & inopiam, quod ipsa pro Pastoris & Episcopi sustentatione ipsius etiam decenti & competenti non sufficiat. Absit hoc dicere, cum ipsa Ecclesia Paderbornensis habeat solennem civitatem, & in se ipsa etiam a primæva ejus funda-



tione sit Ecclesia solemnissima adinstar aliarum Ecclesiarum Cathedralium per partes Alemannie non solum in structura & fabrica, sed imo etiam copiosa multitudine beneficiatorum in eadem et cum congruentius redditibus, habet enim Ecclesia Paderbornensis post principalem dignitatem videlicet pastoralem omnes alias in ordine dignitates & Prælatos inferiores adinstar aliarum Ecclesiarum Cathedralium, & imo VIII Archidiaconos, & totidem sedes archidiaconales per diocesim, & XXIII Canonicos majoribus præbendis præbendatos, qui omnes sunt nobiles vel militares ex utroque parente, vel ad majus Doctores, vel Licentiati in jure vel sacra pagina, & maturi viri, & copiosum numerum perpetuorum Vicariorum et beneficiatorum ultra XL, nec non alios ministros quamplures in eadem Ecclesia divinis officiis interessentes, ipsique Ecclesie servientes.

Est etiam ipsa civitas Paderbornensis adeo insignis, quod in ea ultra dictam Ecclesiam Cathedralium fuit & est quedam alia solemnis Collegiata Ecclesia secularis habens etiam Prælatos suos & Canonicos & perpetuos vicarios in numero condecienti & congruo & congrua sustentatione annuorum reddituum beneficialiter expeditos, & ultra in eadem civitate Paderbornensi sunt plures Ecclesie parochiales curatæ, & solemnia Monasteria atque conventus diversorum ordinum etiam intra muros ejusdem civitatis, ac fuit & est eadem civitas Paderbornensis tam magna & populosa, potens & fortis, quod una de solemnioribus civitatibus & Oppidis totius Alemannie reputatur, quam Ecclesia Paderbornensis & Episcopus ratione ipsius cum mero, & mixto imperio in spiritualibus & temporalibus possidet & habet pleno jure.

Habet etiam sepe dicta Ecclesia Paderbornensis & Episcopus ejus pro tempore existens nomine ipsius plurima solemnia & insignia oppida, castra, & fortalitia in numero ultra XXX, & quam plures alias munitiones, villas & villagia, quod fastidium audientibus, si singulariter nominarentur, procul dubio generaret, in quibus, vel majori parte Ecclesia Paderbornensis & Epi-

scopus nomine ipsius habet merum & mixtum imperium, & nomine Ecclesie ea omnia. & singula seu omnes, & singulas vel majorem partem eorundem tenet, & possidet cum jurisdictione spirituali & temporali pleno jure, nec alium recognoscunt etiam Dominum temporalem, quam Episcopum Paderbornensem pro tempore existentem.

Item sunt etiam inter hæc Oppida plura tam solemnia & insignia ad Ecclesiam Paderbornensem spectantia in numero ultra tria vel quatuor, quod congruenter, & optime sufficerent pro Cathedrali Ecclesia in eisdem de novo fundanda & erigenda, imo plures civitates, in quibus jam sedes Cathedralis fundata est, eis equiparare non possent. Nam si licitum esset, ac necessitas & causa rationabilis hoc exigerent, quod Ecclesia Paderbornensis sive Episcopus cum consensu Capituli aliquod ipsorum vendere & alienare vellent & possent alicui alteri Archiepiscopo, Episcopo, vel alteri Principi seu Domino temporali circumvicino, tantam pro eo possent habere pecunie summam, quod cum eisdem pecuniis novi redditus & proventus annui sine dubio possent emi & comparari, qui pro unius Episcopi, vel etiam Archiepiscopi sustentatione congruenter & competenti sufficerent abunde.

Item ultra præfatas Ecclesias, scilicet Cathedralium & Collegiatam in civitate Paderbornensi, in diocesi fuerunt & sunt aliæ solemnnes collegiatæ Ecclesie ad minus in numero tres vel quatuor habentes salvis vacationum temporibus aliqua ex eis Præpositos, præposituras, dignitates principales in eisdem existentes, Decanos & decanatus Scholasticos & Scholastrias, & alias dignitates inferiores & officia in eisdem, & in qualibet earum, etiam quam plures Canonicos Capitulares, & totidem præbendas Canonicales, & vicarias perpetuas, & beneficia perpetua in magno numero, quarum una est in Oppido Hervordensi, una in Oppido Huxariensi, & alia in Bilveldensi.

Item sunt etiam in dicta civitate & diocesi Paderbornensi quam plura Monasteria regularia & secularia virorum



rum & mulierum diversorum ordinum, ut puta S. Benedicti, Cisterciens. Canonorum Regularium, Canonorum secularium, ordinis Mendicantium, etiam Monialium, quorum aliqua etiam sunt regularia ac solemniter & opulente per Romanorum Imperatores fundata, erecta, & dotata, quae etiam in recitando tedium generaret & fastidium in specie nominari.

Item habet eadem Ecclesia & Episcopus pro tempore existens sub se & ejus dominio quam plures Comites, Nobiles, Barones, & innumerabiles militares eundem Episcopum pro Domino spirituali & temporali duntaxat recognoscentes, & ab eo tenentes bona feudalia ac emphyteutica, & sibi propterea astricti juramento fidelitatis.

Item habet Ecclesia Paderbornensis pro tempore quam plures potentes Principes, Comites, Barones, & terrarum Dominos feudum ab eo tenentes & recipientes, & eum etiam recognoscunt pro Domino temporali.

Item habet Ecclesia Paderbornensis largam & latissimam diocesim extensam per proprium ipsius Ecclesiae patrimonium ac dominium seu territorium temporale superius expressum, nec non per territoria quamplurimorum Principum, Comitum, Nobilium, & Dominorum temporalium, videlicet Ducum Brunsvicensium & Lüneburgensium, Comitum de Waldeg, Comitum de Ravensberg, ac Comitum de Swalenberg, Comitatum de Sterneberg, Comitatum de Redberg, & Comitatum de Pirmunt, nec non territoria Dominorum Baronum de Lippia, Baronum de Buren, Baronum de Schoenberg, in quibus etiam Comitatus & territoria sunt quamplura solemnissima, populosa, murata, fortia & insignia Oppida, diocesis Paderbornensis existentia, quorum quodlibet abundanter & peropportune sufficeret pro Cathedrali Ecclesia & Episcopali sede, imo etiam Archiepiscopali de novo ibidem fundanda & erigenda.

Est etiam praedicta Ecclesia Paderbornensis in omnibus dominiis, bonis temporalibus, redditibus, proventibus & territoriis, nec non potestate tem-

porali solemnior, amplior, uberior, & magis excellens, seclusis Archiepiscopalis Ecclesiis, quam aliqua Cathedralium Ecclesiarum & diocesis circumvicinarum & antiquarum, vide licet Hildesemensis, Osnabrügensis Mindensis & Verdensis, quae omnes tamen habent & tenent suos proprios Praelatos Episcopos & Pastores. Quare merito et saepedicta Ecclesia Paderbornensis manebit in suo statu, libertate, honore, consuetudine, ac jure, et privilegiis, quas jam ultra septingentos annos salvo vacationis tempore habuit, tenuit, & pacifice praescripsit, & possedit.

Concluditur ergo tam adscripta Capitulorum Moguntinensium & Paderbornensium Ecclesiarum, & etiam equitate & ratione suadente, & etiam ut obvietur scandalis, periculis, & discordiis atque guerris, & ne incendia, homicidia multifarie, & multimode sequantur, postquam V. P. R. receperunt summariam informationem de veritate eorum, quae superius dicta sunt, saltem summariam & pro summaria informatione per paucos, qui in curia Romana poterint haberi, & etiam per copiosam multitudinem testium in partibus, si expedit, ubi veritas abundat, & est in luce, de abundantia Ecclesiae Paderbornensis tam in vasallis quam in nobilibus & armatis, atque aliis subditis, & redditibus, ac opulentia Oppidorum notabilium, atque castrorum & villarum multitudine, & amplitudine districtus in hujusmodi diocesi, tunc utique his habitis Sanctissimo Domino nostro est summe persuadendum, ut casset & irritet seu revocet ipsam praesens unionem & applicationem ac suppressionem Cathedralis Ecclesiae Paderbornensis, ex quo nondum sortita est effectum, neque aliquo modo poterit effectum consequi, nisi cum maximo dispendio, pro eo quod a maximo usque ad minimum & nullo medio quodammodo praetermisso reclamant, & se opponunt, expresse dicentes, Vivat Ecclesia Paderbornensis in libertatibus suis ab antiquo adductis & introductis illaesa, & gaudeat amodo suo proprio Praelato, prout a septingentis annis citra gaudere consuevit. Et sic pariformiter etiam tollatur commenda praedicta ab ipsa Ecclesia Paderbornensi, quae  
satis



satis diu duravit, & ipsi Ecclesie per alienationem satis onerosa fuit, & amplius ipsius Ecclesie Paderbornensis esset destructio. Et quæ Commenda, si ipsius data bene inspicitur, quæ est data Friburgi Constantiensis diocesis, id. Aprilis, anno quinto, ubi tunc ipse Dominus Johannes xxiii fuerat in motu & fuga de Concilio Constantiensi, & sic illa litera & plures aliæ etiam exorbitantissimæ transiverunt absque deliberatione & sine consilio, imo præter scitum Dominorum Cardinalium, & fortasse prædicta commenda etiam sine deliberatione ipsius olim Domini Johannis, prout constat adhuc antiquis multis curialibus, qualiter literæ Friburgi & in aliis locis, tempore, quo fuit in motu & fuga ipse Dominus Johannes, transiverunt, etiam ipsa commenda transiit. Et maxime tollatur ipsa commenda, cum ipse Archiepiscopus Coloniensis potens & abundans sit, & sic astringi non posset amplius ad fidelitatem Ecclesie Paderbornensis tanquam Administrator nisi cum juramento suo, contra quod videtur vovisse in prioribus alienationibus, & in suppressione ejusdem Ecclesie ultimo quesitæ. Ergo tollatur & detur Capitulo Ecclesie Paderbornensis annuodolentia & potestas eligendi de ejus gremio concorditer proprium Prælatum & Dominum, Ecclesie, Civitati, Capitulo & diocesi utilem & idoneum, qui multo melius cognoscitur in gremio Ecclesie quam extra, cum ipsa Ecclesia de gratia Dei abundat nobilibus, & literatis intra se, & eo concorditer electo, requirat hac vice confirmationem a sede Apostolica; Cum revera eorum Metropolitanus ex inordinato consensu per eum, ut dicitur, dato, si eum dedit, videatur se reddidisse indignum ad dandam confirmationem electioni, et præmissa fiant cum mandato penali Apostolico ad ipsum Dominum Archiepiscopum Coloniensem, ut amplius desistat ab inceptis, tam in Commenda quam in unione præmissis, seque annuodolentia nullatenus de aliqua ex eis quovismodo impediatur, remanendo in metis Ecclesie et diocesis suæ propriae Coloniensis. Tunc ponetur Ecclesia, civitas, et diocesis Paderbornensis, et tota illa patria in pacis tranquillitate, quam Deus unicuique desideranti concedat ubique.

His primum ad Patres concilii transmisissis, subjungere mox alias Paderbornenses ad Concilium literas, quibus multo plenius accuratiusque statum Paderbornensis Ecclesie explicant, unice solliciti, ne veterem illum Episcopatum Paderbornensem a Carolo M. conditum, & tot exinde Cæsarium ac Regum privilegiis exornatum, tot possessionibus bonorum, tot urbibus, Oppidis, castris, Collegiis Canoniorum, & Cœnobiis Monachorum & Monialium, parochiis, vasallorum & nobilium multitudine, etiam supra Osnabrugensem, Mindensem, Hildesimensem & Verdensensem Episcopatus Carolinos accumulatum, quam latissima regione diocesis, & jurisdictione per tot circum Comitatus explicatum, ad unius Archiepiscopi dominandi libidinem, sero tandem post septingentos annos extingui paterentur. Opera nunc pretium erit & has literas proferre in medium; seu quod nulla hæcenus literarum monumenta repererim, quibus exactus hujus nobilissimæ diocesis status, amplitudo, & jurisdictio tam civilis quam sacra exhibeatur: seu quod multa in his antiquitatum documenta commonstrentur, quorum utrumque posteros nostros recognoscere interest; ut intelligant, quantum hæresis posteriori statim sæculo decerpserit. Nostra hæc sunt; quæ si aliquanto fufus reddamus ex tenebris, nemo vitio dabit, si florentissimum adhuc diocesim brevi post in angustias contractam aspexerit, quam Pontifices & Catholici Imperatores ac Reges tam amplam esse voluerunt. Solatio interim erit, hunc unum Episcopatum cum Monasteriensi adhuc majorem partem Catholice religionis integrum servari, qui respexerit tot per Saxoniam nobilissimos Episcopatus totos in hæresis potestatem venisse. Literæ igitur, de quibus agitur, sic habent.

Reverendissimi Patres, pro brevi summaria informatione pro causa sequenti, sic quod ex hujusmodi brevi informatione in curia detur via ad concedendam pleniorē habendam in partibus, et magis certam ad obviandum et providendum periculis et scandalis, quæ obmissis remediis possent verisimiliter eveni-

Itere tis ad  
Concilium  
Basilien-  
lite ris Pa-  
derbornen-  
fes instan-  
ne conceda-  
tur unio  
Episcopatu-  
tus. Pad.  
cum Eccl-  
sia Colon.

Literæ P-  
derbornen-  
sium ad  
Concilium  
Constanti-  
ense, quibus  
totus  
Diocesis  
status des-  
cribitur.



evenire, quod si et in quantum in Romana curia infrascripti articuli ita exacte et specificae non possent deduci.

Et recipiatur consideratio prima in praesenti in primo articulo, si enim ipsa Ecclesia Paderbornensis a centum annis proxime praeteritis citra fuisset et esset collegiata, quis et quantus labor et qualis necessitas expediret obtinere, ut erigeretur in Ecclesiam Cathedralis solemnem, prout ipsa eadem Ecclesia Paderbornensis per sexingentos annos et ultra semper fuit Cathedralis usque in praesens, et habens omni tempore praeterito cessantibus vacationum ipsius temporibus Pastorem suum proprium, proprium territorium, propriam diocesim, propria oppida murata multa, atque castra et fortalitia diversa, tacendo de pluralitate villarum munitarum, et etiam militiam, et diversa dominia, atque quamplures Comites et Barones, ac plures milites, et multos militares, et alios nobiles sub se, et etiam quamplura loca murata et munita popularia adeo fortia, quod hodie si non esset constituta sedes Episcopalis in dicta civitate Paderburnensi, posset hodierno tempore licite sedes Episcopalis constitui, erigi et collocari de novo infra eandem diocesim in aliis diversis locis insignibus.

Nunquid si de novo ex casu praemisso de ipsa si foret Collegiata deberet erigi in Cathedralis, et in ea collocari sedes sive Cathedra, et in illa creari Praesul, prout a septingentis annis citra fuit, et cessantibus infrascriptis etiam ad ipsius erectionem requirerentur varii labores, variae intercessiones, majores preces, supplicationes, et mandata, ut puta quod pro tempore Imperator ac Reges, Duces, Comites, et Barones scriberent ad Sanctissimum Dominum Romanum Pontificem, exprimendo causas et necessitates propter quas peterent exaudiri, et sic fieri, ut de Collegiata efficiatur Cathedralis, et erigeretur Cathedra, et in illa crearetur et praeficeretur Praesul, et quod per exhortationes hujusmodi scriptorium ipse Romanus Pontifex induceretur ad consulendum ejus sacrum Collegium Dominorum Cardinalium, an expediret ita rationabiliter fieri, et non est dubium quin apud ipsam Ec-

clesiam Paderbornensem a primæva ejus erectione in Cathedralis ita factum fuerit et existat.

Claret enim hodie apud eandem, quia ex antiquis statutis ejusdem Ecclesiae etiam approbata a centum annis et ultra in ea nullus receptus fuerit, aut etiam admittitur in Canonicum Capitulum ejusdem Ecclesiae, vel ad aliquam dignitatem in eadem, nisi fuerit vel sit de Baronum, aut nobili, aut saltem de militari genere procreatus ex utroque parente, aut alias vir maturus Doctor vel Licentiatum in jure Canonico vel civili, seu Magister in sacra Theologia, alias dignus et idoneus ad praebendam vel dignitatem sub eadem Cathedra et in eadem Ecclesia habendam.

A contrario autem sensu deberet concurrere multo major labor, necessitas, scriptura, et deprecatio major ad Romanum Pontificem, et ad ejus ceterum Dominorum Cardinalium, ut talis honorabilis Ecclesia Cathedralis, ita solemniter erecta, notabiliter dotata, et praepollens vasallis, dominio, Baronibus, et nobilibus ac militaribus, nec non diversis Oppidis, castris, atque fortalitiis muratis, et quae haec praescripsit sex vicibus praescriptionum, quae currit contra Romanam Ecclesiam, videlicet spatio centum annorum ad septiescentum annorum spatio habuerit cathedram, et cessantibus vacationum temporibus pro tempore Episcopum, et praemissa singula in praesenti articulo superius expressata, prout est praesens Paderbornensis Ecclesia, quod contra hujusmodi praescriptiones eadem Paderburnensis Ecclesia ad preces unius auntaxat, et ex assumpta occasione scilicet de consensu alterius deberet sic supprimi, et extinguere, et in Collegiatam redigi, et sedes Cathedralis deleri seu cassari, et ejusdem Ecclesiae honor alteri Ecclesiae sine maxima necessitate applicari, et illud cum dissimulatione transire, utique nullatenus apud rationabiles et mansuetos quovismodo debet admitti, aut per quempiam rationabiliter tolerari.

Ad propositum ipsius informationis, et pro brevi summatario dicitur, quod longissima praescriptione et in memoria hominum non existit de contra-

rio,



rio, quod ipsa Ecclesia Paderbornensis & ejus Cathedra constituta fuit, & est in civitate & loco bene solemniter, atque populofo, forti, murato, & bene munito, ita quod a nemine dici potest eam constitutam in rure, sed in loco populofo, munito, murato, forti atque apto, & satis amplo.

Item habuit & habet etiam eadem Ecclesia Paderbornensis universa, quæ consueverunt habere intra se communiter singula aliæ Ecclesiæ Cathedrales per Alemanniam tam in dignitatibus quam Canonatibus prædictis, quam etiam perpetuis vicariis.

Habuit etiam & habet eadem Ecclesia Paderbornensis, cessantibus saltem vacationum temporibus, post Episcopum, Præpositum & Præposituram, decanatum & Decanum, Scholasticum & Scholasticum, Cantorem & Cantoriam, Thesaurarium & Thesaurarium, Camerarium & Camerariam, ac diversos Archidiaconatus sedium, diversos sedes per diocesim & totidem Archidiaconos, & quilibet suam jurisdictionem juxta distincta loca & diocesim, videlicet sedes Archidiaconi Horhusen, sedes Archidiaconi Wartbergensis, sedes Archidiaconi Huxariensis, sedes Archidiaconi Steinbemensis, sedes Archidiaconi Lemegen, sedes Archidiaconi Braklen, & plures Archidiaconatus & sedes Archidiaconales in civitate & diocesi Paderbornensi prædictis, & quam plures alios Canonicos & Capitulares ejusdem Ecclesiæ, & totidem præbendas Canonicales, & Capitulares, & ubi in singulis ejusdem personis requiritur, quod singulariter singuli sint nobiles ex utroque parente, aut saltem ad minus militares ex utroque parente, seu saltem alias viri maturi ætate, vita, moribus & scientiâ, videlicet Doctores, Magistri, aut Licentiati, aut in studiis approbati privilegiatis, alias nullus in præmissis admittitur ad dignitates, aut præbendas Ecclesiæ ejusdem.

Item in eadem Ecclesia ultra præmissas dignitates & præbendas Canonicales sunt in numero XI & ultra perpetui Vicarii & Beneficiati & Clerici seculares, & totidem perpetua beneficia Ecclesiastica a se invicem distincta eorum quodlibet ab alio, & quorum quodlibet nutrit suum possessorem satis con-

gruenter, ut serviat eadem Ecclesiæ more consueto in divinis officiis, & in hinc consuetis in cantando & legendo, sicut moris est, & ultra prædicta quamplures ministri & servitores Clerici diversorum officiorum.

Item ultra præmissa etiam a tempore præscripto, ut supra, intra muros ejusdem civitatis fuit & est quædam notabilis sollemnis collegiata Ecclesia appellata Ecclesia SS. Petri & Andrea Paderbornensis, in vulgari autem appellata to Bustrorp, habens salvis vacationum temporibus Præpositum et præposituram dignitatem principalem in eadem, ac decanatum et decanatum, Scholasticum & Scholasticum, Cantorem et Cantoriam, Thesaurarium et Thesaurarium, et in eadem dignitates et officia et quamplures Canonicos præbendatos, et totidem præbendas Canonicales, et ultra prædictos et prædicta perpetuos Vicarios & perpetua beneficia in multitudine copiosa, ita quod est sollemnis Collegiata Ecclesia etiam sub multitudine beneficiorum continua singulis temporibus consuetis cum solemnitate, sicut Cathedralis Ecclesia, divina celebrans officia & horas nocturnales & diurnales juxta temporum intervalla.

Item ultra præfatas Ecclesias, Cathedralis scilicet & Collegiatam SS. Petri & Andrea, in ipsa diocesi Paderbornensi fuerunt & sunt etiam diversæ Ecclesiæ aliæ Collegiatae ad minus quatuor, una videlicet SS. Johannis et Dyonisii Hervord. Paderborn. diocesis habens salvis vacationum temporibus Præpositum & præposituram dignitatem principalem in eadem, ac Decanum & decanatum, Scholasticum & Scholasticum, ac alios in dignitatibus & officiis constitutos, & plures Canonicos Capitulares, & totidem præbendas Canonicales, & vicarios perpetuos, ac beneficia perpetua in magno numero, & constituta in magno loco & murato & bene munito Oppido Hervordensi, bene populofo, & de quo Oppido natus fuit quondam bonæ memoriæ Dominus Hermannus Duxers Apostolicæ sedis prothonotarius, qui si viveret, de supradictis & infra dicendis relationem facere posset debitam.

Item etiam in eodem Oppido insigni & bene notabili fuit & est quoddam aliud



aliud notabile & insigne Collegium, vocatum communiter & appellatum S. Pufiniae, duplici consideratione. In una consideratione habet Abbatissam & Canonicas seculares, revera tamen religiose viventes in bona multitudine, & ad illud Collegium non recipiuntur nisi mulieres illustres & Ducum Comitum, Baronum, militum, & ad minus militarium genere procreatae, prout hodierno tempore Abbatissa ejusdem Collegii est nata Comitissa & soror carnalis unius magni Comitis, videlicet Comitis de Waldeghe. Est etiam pro mensa Abbatissae ejusdem & mensa Abbatissali ab antiquo, prout hodie, valde sufficienter provisum & opulente. Est etiam sufficienter aliis Canonicabus vel Canonissis in eodem Collegio habitantibus, quantum ad praebendas Canonicas, sufficienter provisum.

Item in secunda parte ejusdem Collegii sunt Canonici seculares, Capitulum cum ipsis, Abbatissa, Canonicae & Canonissae representantes vel facientes, & de communi utilitate & commodo ipsius Collegii tractantes, in simul commune Capitulum facientes, & vacant in horis Canonicis divinis officiis cantando & legendo, sicut ceterae Ecclesiae Collegiatae, ac eis & unicuique pro beneficio suo & secundum ejus statum sufficienter est provisum apud eundem locum, & in eodem Collegio sive Ecclesia sunt alias plures presbyteri beneficiati, & alii Ministri in eadem Ecclesia secundum ejus statum deservientes.

Item a supradictis temporibus citra in dioecesi Paderbornensi fuit; esseque consuevit, & hodie est quoddam aliud solenne Oppidum muratum, insigne, munitum, forte, atque valde populosum, appellatum communiter & vocatum Oppidum Huxariense, & in illo est etiam alia solennis Collegiata Ecclesia vocata Collegiata Ecclesia S. Petri Huxariens. Paderbornensis dioecesis, habens salvo vacationum temporibus Praepositum & praeposituram, dignitatem principalem in eadem, Decanum & decanatum, & in eadem Ecclesia ceteras dignitates & officia inferiora, & quamplures Canonicos Capitulares ejusdem Ecclesiae, & totidem praebendas Canonicas, & plures perpetuas Vicarias, & perpetua beneficia in ea-

dem, & notabile Collegium representans, & horis Canonicis & divinis temporibus consuetis vacans, sicut ceterae Ecclesiae Collegiatae.

Item a dicto tempore citra in praefata dioecesi Paderbornensi fuit, erat, & est quoddam aliud insigne & notabile Oppidum etiam muratum, magnum & forte, appellatum communiter Oppidum Bilevelde Paderbornensis dioecesis, habens sibi multum populum, & est locus insignis habens etiam intra se solennem Collegiatae Ecclesiam appellatam communiter & vocatam Ecclesiam SS. Mariae & Georgii Paderbornensis dioecesis, habens etiam pro tempore Decanum & decanatum in eadem Ecclesia dignitatem principalem, & ceteras inferiores dignitates & officia & plures Canonicos Capitulares, & totidem praebendas Canonicas, ac etiam diversas perpetuas Vicarias, & perpetua beneficia, ita quod etiam eadem Ecclesia representat solennem Ecclesiam Collegiatae, & personae ejusdem etiam vacant divinis officiis & horis Canonicis temporibus consuetis, prout in ceteris Cathedralibus & Collegiatis Ecclesiis solitum est fieri, de quo etiam Oppido natus fuit quondam Dominus Johannes Bileveldensis, dum vixit, auditor causarum palatii Apostolici, multo tempore notabilis Cartesanus.

Deinde quod etiam non taceatur, sed aliquid dicatur de ordinibus & Monasteriis per civitatem & dioecesin Paderbornensem in diversis locis constitutis & situatis, & lege dioecesis Paderbornensis fruuentibus, dicitur, quod quasi singuli oranes in eadem dioecesi Paderbornensi reperiuntur infra eandem dioecesin Monasteria habentes.

Ordo enim Cisterciensis habet Monasteria diversa ad minus tria, & inter illa unum solenne Monasterium appellatum Herdebus, bene opulentum, & in magno numero fratrum & converforum, existens adeo insigne, quod ejusdem Monasterii in Herdebus pro tempore Abbas consuevit reputari saltem quoad partes illas & circumvicinas Pater Abbas in ordine hujusmodi, ut puta, quod consuevit visitare alia Monasteria sui ordinis.

H h h

Aliud



Aliud Monasterium in Breydelar communiter appellatum.

Item aliud quoddam Monasterium Monialium ejusdem ordinis --- Monasterium in Beringbusen communiter appellatum.

Item aliud Monasterium ejusdem ordinis appellatum Almelbusborn Paderbornensis diocesis ordinis Cisterciensis versus Saxoniam in diocesi Paderbornensi, & sit a confinacione ejusdem Monasterii ad contrarium situm ejusdem diocesis Paderbornensis --- fere usque ad oppositam partem ejusdem diocesis, quasi tres dietæ vulgares & longæ.

Item quamplura etiam Monasteria ordinis S. Benedicti in & sub eadem diocesi, etiam notabilia & bene dotata, & in numero ad minus sex, quorum unum infra civitatem Paderbornensem appellatum Monasterium SS. Petri & Pauli in Abdinchove nuncupatum, ordinis S. Benedicti, satis solemne, habens Abbatem, Priorem, & conventum, & est Monasterium opulentum & satis notabile viventium sub regula.

Item unum aliud Monasterium notabile, & insigne regale vocatum communiter & appellatum Corbeya per Carolum Magnum erectum, dotatum, & fundatum, Ordinis S. Benedicti Paderbornensis diocesis, & est solemnissimum Monasterium tam in dotacione quam fundacione, & non solum regale, verum etiam imperiale, & est Monasterium ab antiquissimo tempore, & adeo solemne, quod ab antiquo Abbas pro tempore ejusdem Monasterii consuevit habere sub se, prout hodierna die habet, etiam mero & mixto imperio notabilissima Oppida & castra quamplura etiam Paderburnensis diocesis, & idem Abbas pro tempore consuevit esse de curia Romanorum Imperatorum, & curiam ejus sequi, serviens in aliquo solemnii officio, habens etiam sub se aliqua Monasteria ejusdem ordinis Paderburnensis diocesis, & etiam extra ab illo dependentia. Et ut veritas dicatur, qui in impetratione prætensæ unionis Ecclesiæ Paderburnensis ad Coloniensem taxatam ad centum florenos duntaxat non expressit, quanquam forte scivit, quod ipsum Monasterium Corbejense seu illius Abbatia, quæ est sub lege Episcopi & Ecclesiæ Paderbornensis, seu

in ejus diocesi sita, taxatum reperitur in Camera Apostolica ad florenos quadringentos de Camera.

Item aliud Monasterium ejusdem ordinis vocatum communiter & appellatum Monasterium S. Petri situm in Oppido notabili murato & munito, & Helmesbusen nuncupato, habens Abbatiam & Conventum &c. ut supra.

Item unum aliud Monasterium vocatum communiter & appellatum Monasterium in Monster Paderburnensis diocesis habens Abbatem & magnum conventum ut supra.

Item unum aliud Monasterium ordinis & diocesis prædictorum vocatum communiter & appellatum Monasterium in Wlechtorp, habens Abbatem & conventum ut supra.

Item unum aliud Monasterium ordinis & diocesis prædictorum, vocatum & appellatum Monte Martis, habens Præpositum pro tempore tanquam caput & superiorem, & plures conventuales.

Sequuntur nomina Monasteriorum & Ecclesiarum Collegiatarum Canonicarum secularium, videlicet Abbatissæ Hervord, Heriensis, Schildesche.

De conventibus Monasteriorum Conventualium, ut puta Canonicorum Regularium, ordinis Mendicantium diversorum ordinum in civitate & diocesi Paderburnensi tædium generaret referre

Item de quampluribus Monasteriis Monialium diversorum ordinum copiose & diffuse per civitatem & diocesi Paderburnensem prædictas consistentibus, in recitando tædium generaret audientibus, quorum aliqua opulentissime fundata existunt tam in civitate quam oppidis dictæ diocesis.

Sequuntur parochiales Ecclesiæ in civitate & diocesi Paderburnensi constitutæ, Ecclesiæ parochiales sitæ & constitutæ in civitate & tota diocesi Paderburnensi plures centenarias in numero continent, quarum quatuor solemnes in ipsa civitate Paderburnensi existunt notabiles & bonæ, quatuor in magno



magno Oppido Hervordensi bonæ & notabiles, duæ in Oppido magno Leme-gen, duæ in Oppido Bilveldensi, qua-tuor in magno Oppido Warburgen in-tra & extra, duæ in Oppido magno Huxariensi, duæ in magno Oppido in-tra & extra Monte Martis, reliquæ vero fuerunt & sunt dispersim hinc in-de sub consideratione Oppidorum, ca-strorum & villarum in ipsa diœcesi late sitarum, quarum Ecclesiarum parochia-lium, aliquæ earum quælibet si non ha-bet plura millia communicantium, tunc ad omne minus habet mille communi-cantes in consideratione dictorum oppi-dorum villis & villagiis, diversis locis dictæ diœcesis & situat.

Et si placeret aliquæ earum nomi-nari in specie, sequuntur nomina ea-rum, quæ omnes & plures aliæ hic in Romana curia specificè nominari, non possunt. Sunt sub lege Ecclesiæ Pader-bornensis & diœcesis ejusdem, & quæ-libet earum sit in sedibus Archidiaconalibus secundum sua consinia, prout etiam hoc superius tactum est.

Sequuntur nomina Comitatum & Baroniarum situarum in diœcesi Pa-derbornensi, quorum aliqui Comitatus etiam pleno jure tam temporali quam spiritali ad Episcopum Paderbornen-sem pro tempore existentem & Pader-bornensem Ecclesiam spectant. Et pri-mo antiquus Comitatus, insignis, no-tabilis, Comitatus Warbergensis, de quo tactum est supra, qui etiam anti-quo tempore post ipsius Ecclesiæ Pader-bornensis primævam foundationem post quondam bonæ memoriæ mortem De-docomis ipsius Comitatus ultimi Comitæ, qui cum pura devotione ipsi Ecclesiæ Paderbornensi contulit & donavit.

Item Comitatus Swalenberg, quem Ecclesia Paderbornensis post ejus primæ-vam foundationem cum totali ejus di-strictu pacifice & quiete habuit.

Item magnus Comitatus Waldeck, cujus etiam totum dominium, modico excepto, sub lege Ecclesiæ Paderbornen-sis in spiritalibus regitur.

Item pariformiter notabilis Comi-tatus Ravensberg, qui ut supra imme-diate dictum est de Comitatu Waldeck

etiam vivit sub lege in spiritalibus Ec-clesiæ Paderbornensis.

Item Comitatus Sternebergh, cujus bonam partem Paderbornensis Ecclesia & ejus Episcopus pro tempore existens in temporalibus Dominus est.

Item Comitatus Redberg, & ma-gna pars Comitatus Everstein, ac simi-liter magna pars Comitatus Pairmunt, Humberg, & territoria & districtus dictorum Comitatum sub lege Ecclesiæ & diœcesis Paderbornensis vivunt.

Item est & alius Comitatus appella-tus Comitatus Spiegelberch, & est pro majori parte diœcesis Paderbornensis, & sub lege diœcesis pro tempore Episco-pi Paderbornensis cum suo districtu pro majori parte.

Et hi Comites - - - supradictorum Comitatum sunt vasalli Ecclesiæ Pa-derbornensis, & servire tenentur ad ipsius Ecclesiæ requestam.

Sequuntur nomina Baroniarum primo magna Baronia Lippensis, quæ in magnis Oppidis, villagiis & pote-estate, ac dando, veniat æquiparando magno Comitatu, cujus Baroniæ di-strictus, præterquam Oppidum Lippens in spiritalibus subest Episcopo & Ec-clesiæ Paderbornensi.

Baroniæ in Buren de mero jure spectant ad Ecclesiam Paderbornensem, & per ipsam Ecclesiam Paderbornen-sem post ejus primam foundationem ac-quisitæ sunt sub lege diœcesis Ecclesiæ Paderborn.

Item Baronia Schoneberg pro ejus majori parte Paderbornensis diœcesis.

Item Baronia Padberg etiam diœ-cesis Paderbornensis.

Et hi omnes & supradicti Barones sunt vasalli Ecclesiæ Paderbornensis, & servire tenentur ad ipsius Ecclesiæ Pa-derbornensis requestam.

Est etiam sciendum, quod plures Duces in aliis diœcesibus constituti, Landgravii Hassiæ, ad fidelitatem & homagium præstandum Episcopo Pader-bornensi pro tempore existenti sunt as-tricti Ecclesiæ Paderbornensi, dum in  
H h h 2 peri-



periculis & necessitatibus constitueretur, requisiti ad subveniendum.

Sequuntur nomina civitatum & oppidorum, quæ ad Ecclesiam Paderbornensem spectant tam in temporalibus quam spiritualibus pleno jure. Et primo civitas Paderbornensis, quæ in Alemannia notabilis inter alias civitates existit, & insignis, fortissima, murata, & bene munita, habens in se Ecclesiam Paderbornensem ut Dominam & Magistram, aliam magnam Collegiatam Ecclesiam notabilem, & alia Monasteria virorum & mulierum diversorum ordinum, & III magnas parochiales Ecclesias, de quibus supra, magnam, præpollentem, divitem, populosam, unitissimam in hac materia unionis prætense cum Capitulo Ecclesiæ Paderbornensibus reclamantibus & renitentibus a majori usque ad minimum contra dictam prætensam unionem, & potius mori parati sunt, quam perdere statum & libertatem matris & Domine sue Ecclesiæ Paderbornensis.

Deinde duo Oppida Warberg Paderbornensis diœcesis in se contigua per muros distincta, unum videlicet oppidum novum, & aliud oppidum antiquum, cum ejus castro & duobus suburbis, magna, fortia, insignia, murata, populosa, & bene munita, in quibus sunt III parochiales Ecclesiæ ab intra & ab extra, prout supra, & alias in ipsis bene viginti quatuor beneficia sine cura pro clericis inibi deservientibus, & antiquitus consuevit esse Comitatus magnus, & ut præmittitur, ex donatione devenit ad Ecclesiam Paderbornensem. Et ad quæ Oppida nuper de mense Octobris proxime præterito dum Reverendus in Christo Pater Dominus Theodoricus Archiepiscopus Colonienſis causa ut animam suam darent, & se inclinarent ad dictam prætensam unionem, dum hæc attemptata forent, per aliquos ex Consiliariis Domini Theodorici præfati in theatro, vel in domo Consulari dicti novi Oppidi Warberg existent, etiam ibi aliquibus Magistris civium & Consulibus aliorum Oppidorum ad ipsam Ecclesiam Paderbornensem spectantium infra dicendorum, et aliis hominibus in numero et multitudine copiosa, et dum præstare deberent assensum et consensum ad hujusmodi unionem fiendam

Ecclesiæ Paderbornensi ad Colonienſem unanimiter, una voce, et uno animo, a majori usque ad minimum, male contenti dixerunt et acclamarunt: Vivat Ecclesia Paderbornensis et ejus libertas, et adeo idem Oppidum est insigne, quod sufficeret pro erectione unius Cathedræ Episcopalis, et habet duos Magistros civium, et duos Consulatus, unumquodque ipsorum per se.

Item unum aliud Oppidum insigne, pulchrum, muratum, et notabile, ac populosum munitum, appellatum Oppidum Bracle Paderburnensis diœcesis, & in eadem est una de sedibus Archidiaconalibus sedes Braclei in Ecclesia Paderburnensi nuncupata, & habet unam solemnissimam parochialem Ecclesiam, præpollentem & notabilem, & plura alia beneficia in eadem Ecclesia Clericis secularibus assignari consueverunt in titulum beneficii. Et est Oppidum adeo insigne & notabile, quod in eodem moneta cudi consuevit, de voluntate tamen Episcopi Paderburnensis pro tempore existentis. Est etiam idem oppidum adeo insigne, quod Cathedra Episcopalis de novo institui & erigi posset.

Item unum aliud notabile, insigne oppidum muratum, & bene munitum, magnum & populosum, vocatum & appellatum Borgentrick, habens unam solemnem parochialem Ecclesiam & parochianos multitudine copiosa, & opulentum ac fulcitum in victualibus inter cetera Oppida illorum partium, et propter amœnitatem et ubertatem illorum trium Oppidorum prædictorum vocatur patria illorum districtu, patria Lili, id est, Lilieland.

Item unum aliud notabile, insigne, pulchrum, muratum, ac populosum, et bene munitum Oppidum, vocatum communiter et appellatum Nyhem Paderburnensis diœcesis, habens solemnem parochialem Ecclesiam aginstar dictorum Oppidorum, ut supra, de quo olim oriundus fuit quondam bonæ memoriæ Magister Theodericus Nyhem inter præsidentes in Cancellariu Domini nostri, unus de majoribus, et toti curiæ tempore suo notus.

Item unum aliud Oppidum, ut supra, non minus insigne quam Oppida, de



de quibus dictum est, vocatum communiter et appellatum Oppidum Stenhem Paderbornensis diœcesis, in quo etiam est una de sedibus Archidiaconalibus ut supra.

Item est unum aliud Oppidum, ut supra, insigne, forte & muratum, vocatum communiter & appellatum Oppidum Saltkotten Paderbornensis diœcesis, & inibi est vena salis, & decoquitur sal pro usu illius patriæ.

Item unum aliud Oppidum solemne & insigne, muratum & munitum, vocatum communiter & appellatum Lechtenowe cum castro suo Paderbornensis diœcesis, notabile adinstar dictorum Oppidorum.

Item unum aliud Oppidum insigne, ut supra, vocatum communiter & appellatum Oppidum Buren cum castro suo Paderbornensis diœcesis, etiam multum notabile adinstar prædictorum oppidorum.

Item unum aliud Oppidum cum castro suo, ut immediate supra, vocatum communiter & appellatum Peckelsen, notabile, muratum, & insigne, ut supra, Paderbornensis diœcesis.

Item unum aliud Oppidum, vocatum Levenowe cum castro suo Paderbornensis diœcesis.

Item unum notabile Oppidum vocatum & appellatum Oppidum Lude cum castro Paderbornensis diœcesis, & est Baronia, & spectat in temporalibus & spiritualibus, ut supra, ad Paderbornensem diœcesin.

Item unum aliud Oppidum, vocatum & appellatum Dringbenberg cum castro murato & bene munito, ut supra, & est adeo notabile, quod Episcopi Paderbornenses in eo aliquando consueverunt facere residentiam personalem.

Item unum aliud Oppidum, vocatum communiter & appellatum Oppidum Beverungben cum castro, ut supra, Paderbornensis diœcesis.

Item unum aliud Oppidum, vocatum communiter & appellatum Oppidum Cleneberg Paderbornensis diœcesis, muratum & munitum, ut supra.

Item unum aliud Oppidum cum castro, vocatum communiter & appellatum Oppidum Wunnenberg Pader-

bornensis diœcesis, muratum & munitum, de quo oriundus etiam fuit quondam bonæ memoriæ Dominus & Magister Fridericus Deys Decanus Ecclesiæ Paderbornensis & sacri palatii Apostolici causarum auditor, & cæteræ curiæ tempore suo bene notus.

Item unum aliud Oppidum, vocatum communiter & appellatum Oppidum Bredenborne.

Item unum aliud Oppidum, vocatum communiter & appellatum Vordecum castro Paderbornensis diœcesis, ut supra.

Item unum aliud Oppidum, vocatum communiter & appellatum Oppidum Wilbodeffen Paderbornensis diœcesis, ut supra.

Item unum aliud Oppidum, vocatum communiter & appellatum Oppidum Gerden Paderbornensis diœcesis, forte, ut supra.

Et est sciendum, quod omnia Oppida supra descripta, sic pleno jure ad Ecclesiam Paderbornensem spectantia, sint notabilia oppida, murata, munita & fortia, populosa & abundantia secundum majus & minus, habentia magnam populam, Magistros civium, Consules juratos, & consilium, & magnam communitatem.

Item est unum aliud oppidum, vocatum communiter & appellatum oppidum Drendeborg cum castro Paderbornensis diœcesis, quod pro medietate spectat ad Episcopum & Ecclesiam Paderbornensem, munitum & forte.

Item est unum aliud oppidum, ut supra, vocatum communiter & appellatum oppidum Helmersbusen cum castro Paderbornensis diœcesis, cujus certa pars tam oppidi quam castri ad Episcopum Paderbornensem pro tempore existentem & Ecclesiam spectat.

Sequuntur castra, quæ pleno jure spectant ad Episcopum pro tempore existentem & Ecclesiam Paderbornensem.

Et primo castrum Nyebus Paderbornensis diœcesis, insigne, forte, muratum, & bene munitum, bene situatum, & in eodem castro consuevit, esse residentia Episcoporum Ecclesiæ Paderbornensis pro tempore existentium, quod prædictus Reverendus Dominus Theodoricus Archiepiscopus Colon. in pignorando ad manus dedit alienas.

Item



Item unum aliud castrum forte & muratum Paderbornensis diocesis, vocatum Lippe Springhe cum ejus suburbio.

Item unum aliud castrum, forte & muratum, vocatum communiter & appellatum castrum Dregborg Paderbornensis diocesis, ut supra.

Et est advertendum, quod memoratus Dominus Theodoricus Archiepiscopus Coloniensis duo meliora castra superius descripta, unum videlicet oppidum cum castro suo Dringheberg nuncupatum, & aliud etiam insigne castrum superscriptum Nyebus appellatum, & de quibus Episcopus Paderbornensis pro tempore existens residentiam personalem facere consuevit, impignorando dedit ad manus alienas ita & taliter, quod predicta duo castra notabilia & insignia una cum predicto oppido non sunt in posse nec potestate Capituli Ecclesie Paderbornensis.

Sequuntur oppida insignia & notabilia, quae ad Ecclesiam Paderbornensem non spectant, sed tantum eidem subsunt sub lege diocesana. Et primo oppidum Hervorden, de quo modicum tactum est in titulo de Collegiatis Ecclesiis Paderbornensis diocesis. Nam idem oppidum est oppidum solemne, imperiale, muratum, munitum & insigne, ac populosum & prae-pollens, non recognoscens alium Dominum nisi Romanorum Regem, unde, ut supra dictum est, habet in se duo Collegia, duos conventus, & plures parochiales Ecclesias, & plura Monasteria Monialium, et idem oppidum valde sufficeret propter ejus amoenitatem & ubertatem & divitias pro Cathedra Episcopali nova erigenda.

Item est unum aliud oppidum in Comitatu Ravensburgensi, de quo supra, situm, solemne, insigne, muratum & munitum, vocatum communiter & appellatum oppidum Bilvela Paderbornensis diocesis, habens in se, ut praemittitur, unam notabilem Collegiatam Ecclesiam, de qua supra, quod sufficeret pro Cathedra Episcopali nova erigenda.

Item unum aliud Oppidum insigne, muratum, & bene munitum, ut supra, vocatum communiter & appellatum oppidum Lemegen in quo etiam sunt, ut praemittitur, duae parochiales Ecclesiae notabiles, situm in dominio magna Baroniae Lippiensis, & adeo notabile & magnum, & divitiis ac structura prae-

pollens, quod etiam sufficeret pro Cathedra Episcopali inibi erigenda.

Item est unum aliud oppidum insigne & notabile, forte, populosum & famosum, vocatum communiter & appellatum oppidum Mons Martis, in quo etiam est unum notabile Monasterium Ordinis S. Benedicti, de quo oppido Oriundus est venerabilis vir Magister Johannes de Monte Martis, decretorum doctor ac literarum Apostolicarum Scriptor & abbreviator, quod etiam sufficeret pro erectione unius novae Cathedrae Episcopalis.

Item unum aliud oppidum pulchrum, forte, bene muratum & bene munitum, vocatum communiter & appellatum Oppidum Huxariense Paderbornensis diocesis, habens in se notabile Collegium Canoniorum saecularium, & alia Monasteria tam virorum quam mulierum, & duas notabiles parochiales Ecclesias. Est etiam in eo sedes Archidiaconalis in Ecclesia Paderbornensi, vocata communiter sedes Huxariensis, adeo insigne, quod ad instar aliorum oppidorum etiam posset institui de novo sedes Episcopalis.

Item est unum aliud oppidum notabile & insigne, populosum, valde muratum & bene munitum, vocatum communiter & appellatum Oppidum Corbeke in comitatu Comitum de Waldeck situm, & est adeo tale, taliter insigne, quod in eo etiam possit sedes Episcopalis de novo collocari.

Sunt & quam plura alia magna & parva oppida & castra, villae & villagia, numero & multitudine copiosa, de quibus hic nihil tangitur, ne fastidium generetur, quae omnes subjacent legi Ecclesiae Paderbornensis & Episcopo pro tempore existenti.

Confinia diocesis Paderbornensis. Inprimis ut recipiatur consideratio confinium civitatis, Ecclesiae, & diocesis Paderbornensis respective ad alias civitates & dioceses eidem confines, dicitur. Confinat enim diocesis Paderbornensis in una parte ad diocesin Hildesimensis, sub qua & Episcopus, civitas & Ecclesia Hildesimensis, & consideratve Ecclesia Paderbornensis plus habet de castris & oppidis muratis atque munitioribus, ac de latitudine patriae & diocesis, quam habet Ecclesia, civitas, & diocesis Hildesimensis.

Item



Item confinat etiam eadem diæcesis Paderbornensis alteri diæcesi appellatæ diæcesi Mindensi, habens pro tempore Episcopum, Ecclesiam, civitatem, & diæcesin, & ipsa Ecclesia, civitas, & diæcesis Paderbornensis etiam præeminet in oppidis, castris, & munitionibus, atque in latitudine & longitudine ultra diæcesin & civitatem Mindensem, imo, ut veritas dicatur, nunc Ecclesia, civitas, & diæcesis Paderbornensis in oppidis, castris, munitionibus, longitudine & latitudine cuiuslibet diæcesi proxime dictis ----- videlicet Hildesimensi & Mindensi prævalet & præeminet.

Item confinat etiam diæcesis Paderbornensis ab alio situ cum diæcesi Osna-brugensi, quæ diæcesis etiam pro tempore habet Episcopum, civitatem, & diæcesin, & revera civitas, Ecclesia, & diæcesis Paderbornensis in oppidis muratis, castris & munitionibus præeminet, quoad diæcesin, Ecclesiam et civitatem.

Item confinat etiam ab alia parte ad diæcesin Paderbornensem quædam alia diæcesis, appellata communiter Monasteriensis, habens civitatem, Ecclesiam, et diæcesin solennes, et pro tempore Episcopum, et revera Ecclesia, civitas et diæcesis Paderbornensis in oppidis, castris et munitionibus, præeminet Ecclesiæ et diæcesi Monasteriensis.

Tantum hæ literæ ad priores pondus attulere ut nemo exinde Patrum conjunctionem Paderbornensis Ecclesiæ cum Colonienfi probaret. Ita demum Basileæ in Concilio, quemadmodum Romæ in aula Pontificis, pravis machinationibus Theodorici Archiepiscopi obstructum est. Ex quibus cum ingentes turbas bellaque Patres tanquam ex specula conspicerent; nondum tamen Archiepiscopus satis recognoscebat, quantam in se invidiam apud vicinos Principes contracturus esset, si ab Rheno ad Visurgim imperium suum proferret; quando nihil magis suspectum invisumque, quam vicina potentia. Quæ omnia augebantur, quod fratrem haberet Episcopum Monasteriensem, viribus sibi haud multum imparem. Et cum cætera fileant tabularii nostri literæ, prorsus existimo, a Concilii Patribus Theodorico Archiepiscopo manda-

tum esse, ut a cæpta conjunctionis actione desisteret. Quanquam non nisi decennio abhinc, ut referemus, cum Paderbornensibus ex integro reconciliatus, omnem hanc actionem remiserit, solo Administratoris munere contentus.

Sustulit & hic annus, mense Februarii, vel ut alii mense Junio, Conradum Moguntinum Archiepiscopum & Metropolitanum nostrum, cujus assensu se ad hanc quoque conjunctionem Paderbornensis Ecclesiæ permotum supra retulit Theodoricus Archiepiscopus; quæ si vera sunt, infidus fuit Moguntinus Archiepiscopus, aut deceptus a Colonienfi, qui tam vetustam Carolinam & nobilem Ecclesiam Paderbornensem a sua Metropoli avelli passus sit; quem jura Metropolis suæ, sicut Moguntinum fecit Capitulum, omni virium contentione tueri oportebat; nisi proditor suæ Metropolis, quam fidus pastor esse maluerit. Conrado concordibus suffragiis in Moguntina fede subrogatus e clero suo Theodoricus Erbachius Metropolitanus noster; ad quem recipiendum scriptæ sunt ab Eugenio Pontifice literæ non modo ad Metropolitanum Collegium; sed & ad omnes etiam provinciales Episcopos: Præful hic pietate egregius, cujus aula ob id hortus genialis laudatur in fastis.

Laborabat & suo malo per id tempus Corbeienfè Monasterium. Extant enim Corbeiensium literæ ante biennium consignatæ, quibus Ludovicus Hassiæ Landgravius in concordiam venit cum Mauritio Spigelbergio Abbate; post vero ob dissidia, quæ inter Abbatem, & Capitulum, ut vocant, Corbeienfè intervenerant, hoc anno actum & perpetuum fœdus contraxere D. Widekindus Prior, Theodoricus Præpositus, totumque Capitulum Corbeienfè cum Ludovico Hassiæ Landgravio, quo & Successores Landgravii obligari voluere; deligiturque Landgravius tutor & defensor Monasterii adversus omnes Corbeiensium hostes. Quam in rem profusa liberalitate offeruntur Corbeiensium Ministri & Oppida castraque in obsequium dataque potestas Landgravio redimendi etiam suo ære retinendique Corbeiensium omnia oppignorata castra (quæ tamen

Obitus  
Conradi  
Moguntini  
Archiepiscopi,  
cui sufficitur  
Theo-  
doricus Er-  
bachius.  
Serrarius, in  
Mogunt.  
histor.  
Raynaldus,  
in histor.  
Ecclesiæ.

Fœdus Has-  
sacum  
cum Cor-  
beiensibus,  
Litera Cor-  
beiensis.

refu-



refusa pecunia redimantur redeantque ad Corbeiensis.) Ad hæc pacta etiam ipsum Abbatem adstringi voluere, nec prius recipiendum a se, quam hæc ipsa literis suis Landgravio & Capitulo confirmavit. Hunc in modum Cœnobii primores Abbati suo, haud secus, quam Capitula Cathedralia Episcopis, fœdera & leges præscribere: seu id Abbatis prodigalitas, seu regendi infirmitas, seu dissensio postularit. Adita interim Landgravio conditio, ut si inter Cœnobitas & Abbatem, aut Huxtarienses & ipsos controversia oriatur, non huic se misceat Landgravius. Acta hæc feria IV ante festum Corporis Christi.

Fœdus  
item Bruns-  
wicense  
cum iisdem  
Corbeiens.

Aliud præterea fœdus iniere Widedkindus Prior, Theodoricus Præpositus, cæterique Cœnobitæ cum Ottone Brunswicensi Duce juniore, pacis firmandæ causâ; quo cautum sancitumque, si quis Brunswicensium læserit Corbeiensis, arbitrium decidendi sit penes Gottingensis urbis Magistratum; contra si Corbeiensis læserint Brunswicensem Ducem iudicio Huxtariensium definiatur. Quo utraque simul pars acquievit: ad hæc quoque pacta approbanda constringitur Mauritius eorum Abbas; ut non prius aut ipse, aut alius Abbas, ad possessionem admittatur, quam hæc literis suis consignari. Acta hæc referuntur Dominica prima post Pascha.

Trahebatur in quartum jam annum Concilium Basileense; ad quod cum

ex tota Germania deferrentur querelæ afflictarum partium, ut ex variis Concilii responsis constat; tum Paderbornenses etiam, quod hæctenus apud Pontifices sollicitarant, petiere supplices privilegiorum suorum & libertatis Ecclesiasticæ, quam in multis læserant consules ac cives, ut supra relatum est a nobis, confirmationem Patrum auctoritate fieri. Proni ad hoc Patres acriter rescripto ac decreto vetuere, ne in posterum fas sit, aut Clericos gravare tributis, aut in iudicium civile protrahere, aut oblationes piorum hominum ad Altare in sacrificiis defunctorum prohibere, aut leges sancire, quibus prohibeatur Clericis adire novas bonorum possessiones, aut testes esse in iudicio piarum causarum, & quæ hujusmodi multa Paderbornenses cives contra libertatem Ecclesiasticam introducere ceperant. Hoc decretum a Concilii Patribus missum Decano Collegii Hildesimensis, Susatensis & Buistorfiani, ad promulgandum per urbem Paderbornensem & vicinas circum regiones. Contra si qua urbs, aut Dux, aut Marchio, aut Comes quicquam tentarit, jubent anathematis vinculo perstringere, & infames reddere; eo quod mandatum sit, in ea libertate privilegiorum Paderbornensem Clerum, ac totam Westphaliam Saxoniamque tueri, quam tot Pontificum & tot Imperatorum a Carolo M. ad Carolum IV. privilegiis confirmatam acceperant. Supersedeo ipsum Concilii decretum, quod prolixum sit, referre.

Clerus Pa-  
derbornen-  
sis privile-  
giorum suo-  
rum confir-  
mationem  
a Concilio  
Basileensi  
obtinet.

Pax Mar-  
chie reddi-  
ta.  
Trichemach  
part. 2.

Theodori-  
cus subdi-  
tus suos tri-  
butis ones-  
rat, quod  
agre tes-  
tunt Susa-  
tenses, &  
palam res-  
clamant.

## Annus Christi 1435.

Eugenii IV. Pont. 5. Sigismundi Imp. 26.

Theodorici Admin. Pad. 20.

Dissidium  
Herisensis  
Collegii, ob  
electionem  
Abbatissæ.

Alia per id tempus appellatio facta est ab Herisensium Canonicarum Virginum Collegio ad Concilium Basileense, ob dissidium electæ Abbatissæ. Mortua enim Anna de Plessis, Freckenhorstensis & Herisensis Collegiorum Abbatissa, Herisenses in partes divisæ; harum aliæ elegere Harekenam Spiegelbergiam, aliæ Ermegardem de Solmis, Borchorstensis in Diœcesi Monasteriensis Collegii Abbatissam. Lis primum delata ad Theodoricum, Coloniensem Archiepiscopum & Diœcesis nostræ Administratorem; a quo cum pro Ermegarde pronunciatum esset,

Harekena appellavit ad Eugenium Pontificem. Ab hoc electio Harekenæ probata est; ita tamen, ut hoc ipso institutum Canonicarum Virginum simul approbare nolle profiteatur; utraque vero cum ad Concilium provocaret, Patres Concilii causam primum Ludovico de Gausis Canonico Bosniensi, deinde Joanni Grewer Præposito Verdensis Ecclesiæ, qui tum Concilio præsentis erant, cognoscendam commiserunt. Ac postquam ab his electio diligenter expensâ, facta est relatio. Patres Concilii electionem Harekenæ ratam habuere, eamque Collegio Virginum præfici



præfici mandarunt; ut multis exponitur decreto, quod Basileæ XIII Calend. Februarii hoc anno perscriptum est.

Tandem ex longo bello, quod Theodoricus Archiepiscopus Coloniensis incenderat alueratque inter Adolphum Cliviæ Ducem & Gerhardum fratrem, pacem Westphaliæ consultum. Tædio quippe intestinorum malorum Marcani Westphaliæque proceres permoti, finem urgebant. Proni & Duces erant. Quapropter tam a Ducibus, quam a Theodorico Archiepiscopo dati sunt ex Consiliariis arbitri; quos alii decem, alii plus quam viginti numerant. Ab his Gerardo Duci Hammona & pars Marchiæ attributa. Inde ille Hammonæ confedit; qua in urbe, quia Franciscanis Monachis jam ante Cenobium construxerat, armis sepositis, quietis & pietatis studio reliquum vitæ tempus salubrius exegit, hoc demum anno sine prole extinctus. Exinde tota Marchia, ob quam hæcenus militaribus armis contenderant, ad Cliviæ Ducem rediit.

Non perinde quietus Theodoricus Coloniensis Archiepiscopus, immentum tributum ab universis dicecesis suæ incolis exigit. Quem in censum venere singulorum equi, boves, porci, oves, & domus ipsa: non Sacerdotum capita, non religiosorum Cenobia, non ullus ordo sexusve exemptus. Qua vectigalium acerbitate multis querelis repleta dicecesis. Sed offensus cum primis Westphaliæ ducatus Oppida & ordines, pristinam majorum libertatem violari protestabantur; ausi inter cæteros palam reclamare Sufatenses, & ad alterius imperium respirare. Atque hæc prima semina Sufatensis belli tum jacta, quod tantis calamitatibus post erupit. Mirati non pauci, quæ vel opum cupiditas, vel pecuniæ indigentia Archiepiscopum ad tam insuetum tributum compulerit. Verum ut cum Donawero cæteri Scriptores memorant, aulæ magnificentia & Bello Bohemico ita exhaustus erat, ut pleraque castra & oppida Ecclesiæ oppignorare necesse habuerit. Igitur ad ærarii lacunas implendas, & castra

redimenda, & aulæ magnificentiam continuandam subjectorum loculi exhausti.

Sigismundo interim omnia felicius quam hæcenus processere. Quippe Hussitæ in Bohemia hæretici, postquam hæcenus nullis Catholicorum armis subigi poterant, mutuis demum intestinisque bellis se obrivere: comperitque quod D. Hieronymus dixit, bellum hæreticorum esse pacem Ecclesiæ: Pragenses enim, qui & Calixtini vocabantur a petito calice Eucharistiæ, cum ad nullam concordiam ineundam adducere possent Thaboritas & Orphanos hæreticos, duce Meinardo, atrocissimo prælio eos aggressi cedere; in quo supra viginti duo Thaboritarum & Orphanorum millia trucidata memorantur. Qua clade suorum exacerbatus Procopius Dux, deserta obfidiione Pilzinæ, in Pragenses movit, ulturus sociorum stragem. Nec seignior Meinardus, cui se Catholici quoque junxere, inter Brodam & Burim Procopio occurrit, victorque rursus supra XIII millia Hussitarum in acie prostravit; interque casos Zapego, Procopius, & Lupus Presbyter, Hussitarum Duces, occubere. Cæteros deinde Thaboritas & Orphanos bellis exercitos voce præconis ex agris convocavit, factaque novi belli spe & conspiratione adversus omnes Bohemiæ hostes, in horrea collegit, clausisque horreorum ostiis ignem tectis iniecit, & cæterarum Hussitarum colluviem flammis absumpsit. His patrat, misere Pragenses suos oratores ad Basileensem Synodum, Sigismundum Imperatorem, offerendo se ad concordiam cum Catholica Ecclesia & Sigismundum Regem suum recipiendum. Ac postquam Ratisbonæ Cæsarei & Bohemici Legati convenere, Bohemi Sigismundum, restituto avito Sceptro, Regem salutavere. Quibus acceptis, Sigismundus Danubio vectus, Budam petiit, formatoque istic regni statu, Albam regalem concessit. Vocatis deinde ad se Bohemorum proceribus, de Bohemiæ regno & concordia consilia habuit, diemque, quo invitatus Bohemiam ingredi veller, decrevit,

Hussitæ bellis obriviti ad Ecclesiam Catholicam redeunt, & Regem suum Sigismundum recipiunt. Cochlaus in histor. Hussitar. lib. 6. c. 7. Dubrav. Cranz. l. II Wand. c. 3 Naucier. Gener. 48. Raynald. in histor. Eccl. Acta Concilii Basileens.

Pax Mars  
chiz reddi  
ta.  
Tschernach  
part. 2.

Theodoricus  
subditos  
tribuit  
ones  
re, quod  
agre fer  
runt Sufatenses,  
& palam reclamant.



## Annus Christi 1436.

Eugenii IV. Pont. 6. Sigismundi Caesaris 27.  
Theodorici Administratoris Pad. 21.

Sigismundus a Bohemia recessit pacem regno &amp; Ecclesie restituit.

Anno dehinc subeunte Sigismundus Iglaviam Olmucentis diocesis urbem accessit; ubi rursus pertractatum de controversiis religionis inter Pragenses & Catholicos. Hic vero cum Pragenses Hussitae communionem sub utraque specie peterent, idque ea lege permitteretur, ut simul sub altera etiam specie Christum integrum praeberi a Catholicis profiterentur, iisque in locis tantum communio sub utraque libera esset, in quibus iam usus obtinisset: tum nec pueris, quod simul postularant daretur: & quae praeterea importune haecenus sollicitarunt, cum sine magna legum confusione & turbamento Reipublicae permitti non posse intelligerent, facile remiserunt in praesenti, contenti, quod calicem populo impetrassent. His igitur in tabulas relatis, conventisque, Sigismundus extrema aetate Pragam ingressus, & honorificentissime exceptus, animos procerum in concordiam reduxit. Ac primum omnem curam convertit ad collapsam religionem per regnum instaurandam. Tum vero templa & altaria pristino cultui reddita, revocati ab exilio Clerici, Monachi & religiosi in sua Collegia & Cœnobiaz, reducti. Cumque proventus non suppetere, ex quibus ministri sacrorum viverent, iussit ex Fisco regio Imperator per singulas hebdomadas aureum Canonicis integrum, Clericis mediundari. Lata universa Germania Saxoniaque, post tot cruenta bella & fatales clades Bohemiam ad concordiam cum Ecclesia Catholica, priscumque religionis cultum redire.

Ingentia pluribus locis damna ex faciente tempestate.

Magna per id tempus bellorum quies ad Rhenum, & per Westphaliam totamque Saxoniam: magna quoque, jam in quartum annum annonae caritas, ac fames; quod omnes passim fruges nunc frigore, nunc pluviis & inundationibus agrorum, nunc aliis caeli injuriis corruptae non provenirent; id quod passim chronicorum Scriptores deplorant. Auctorque inter hos Trithemius est, ab Aquilone & Mari Anglico tantam ventorum tem-

pestatem incubuisse, quae ab ascensu Rheni ad Italiae usque fines turres, templa, aedes & oppida cum innumera hominum pecorumque strage deiecerit: alibi arbores, alibi magnas sylvas radicibus evulserit.

Ceterum Theodoricus Archiepiscopus Administratorque noster hoc anno, lustrato Westphaliae Ducatu, Paderbornensem diocesim ingressus, Warburgensibus eligendi Magistratus leges scribit; urbesque & oppida & ordines diocesis, instauratis singulorum privilegiis, sibi reconciliare cepit. Quo simul anno conspexit Cœnobium Dalheimense, quod ante non multos annos instaurarat, una cum adfuto pago fortuiti incendii malo in cineres dissolvi; e quibus tamen ruinis brevi post Paderbornensem, Brobeckiorum, & Harhusanorum nobilium beneficentia illustrius surrexit. Quamquam sacrorum cura ab hoc Administratore, tot amplissimi Archiepiscopatus sui negotiis distracto, negligenter per diocesim nostram tractata. Ex quo Cleri populique mores in pejus ruere comperit sunt; feroque tandem animadversum, nunquam melius quam per proprium Episcopum omnia administrari.

Extractus hoc anno e numero mortalium Willebrandus, Episcopus Mindensis, Haltermontius Comes, quem ex Abbate Corbejensi delegerant Canonici. Gesserat is sacram illam praefecturam annos xxx, ac menses tres. Vir, ut Crantzius inquit, ortu natalium & religione illustris, sed & bellicandi fortitudine non incelebrior. Quippe qui castra Wedekenstenium Bernardo Comiti de Lippia, Reinsbergam Nicolao Comiti Teclenburgico, Radam Joanni Bockio equestri ordinis viro erepta restituit Ecclesiae suae: multisque pugnae congressibus Osnaburgenses, Mindensi diocesi infestos, feliciter repressit. Defuncti corpus humatum in medio Cathedralis Ecclesiae ante aram S. Petri, hac rudi inscriptione tumuli.

Theodoricus Diocesis Paderbornensis ingressus, incolarum animos beneficentia sibi reconciliare cepit. Quamquam sacrorum cura ab hoc Administratore, tot amplissimi Archiepiscopatus sui negotiis distracto, negligenter per diocesim nostram tractata. Ex quo Cleri populique mores in pejus ruere comperit sunt; feroque tandem animadversum, nunquam melius quam per proprium Episcopum omnia administrari.

Familia Haltermontia in Willebrandi extractis. Willebrandus in Episcopatu Mindensi succedit Albertus Comes de Hoja.

Aeneas Sylva c. 52. Dabrav. lib. 27. Cochlaus lib. 8. Crantz. l. 1. Wand. c. 1. Nauceler. Gener. 48. Trithem. in chron. Ursberg. Paralip. Ervovier. in annal. Trevir. Cuspianus. Reynald. Obitus Sigismundi Imperator.

Mors Willebrandi Episcopi Mindensis, Abbatis antea Corbejensis. Chron. Mindense. Crantz. in Metrop. Ervovier. in chron. Osnabr.



MC quater Xter simul a Christo datus et sex.

Præful Willebrandus de Haltermont venerandus,

Est hic portatus dum Stephanus est lapidatus.

Ut Leo qui fremit, sic hic tria castra redemit.

O Deus in cælis nunc gaudeat iste fidelis.

Familia Haltermontia in Willebrandus extincta. Willebrandus in Episcopatu Mindensi succedit Albertus Comes de Hoja.

Extincta est cum Willebrando familia Comitum de Haltermont in inferiori Saxoniam, cessitque Comitatus Brunswicensibus. Subrogatus in Episcopatu Mindensi Albertus Hojanus Comes, Erici Comitum filius, quem jam ante annos sedecim Administratorem diœcesis admiserat. Et vix ille Thronum conscenderat, cum Brun-

swicensium ope adjutus, inflatusque nova dignitate, bellum quo hæctenus etiam multum affligerat Osnabrugenses, Joanni Diepholdio eorum Episcopo intulit. Nec imparatus Diepholdius Hojanum e diœcesi sua proffigat, fugientemque infecutus, ad Lubekenum Mindensis diœcesis pagum processit, late agris Mindensium ad Visurgim usque vastitatem inferendo. Nec jam alii fere per Westphalam Saxoniamque Episcopi se offerunt, quam ex illustribus Comitum & Principum familiis, a quibus non tam infula quam lorica expetita, sæculis semper in pejora declinantibus. Episcoporum exemplo passim Præfules & Canonici Cathedralium Ecclesiarum arma induebant, pugnabantque inter milites.

Annus Christi 1437.

Eugenii IV. Pont. 7. Sigismundi Cæsar. 28.

Theodorici Admin. Pad. 22.

Æneas Sylvius c. 53. Dabrav. lib. 27. Cochians lib. 8. Cranz. l. 12 Wand. c. 1. Naehler. Gener. 48 Trithem. in chron. Urberg. Paralip. Brover. in annal. Trevir. Cuspian. Reynald. Obitus Sigismundi Imperat.

Laborabat per hæc in sequentem annum Sigismundus Imperator omnium virium contentione, ut regnum Bohemiarum & Christianam religionem in pristinum statum reponeret: quanquam rem eo deducere non licuerit, ut Ecclesiarum prædia & bona semel per hæresin occupata restitueret. Jam ad exitum decurreret annus, cum VI Idus Decembris morte abripitur, senio jam ante confectus. Principes qui pietatis laude, & pacis concordiaque studiis, quam bellandi felicitate & pudicitia commendatior, famam ad posteros transtulit. Quippe cui violare alienos toros familiare fuit; quo tamen crimine maxime obnoxia Barbara conjux, altera sæculi ejus Messalina domestica: ut ob hæc fœda etiam vitia toties ab Hussitis cæsus videri possit. Filiam reliquit unicum hæredem, Alberto Duci Austriæ denuptam, quacum Albertus regnum Bohemiarum & Ungariæ adiit; frustra licet perfida matre Barbara obnitente, quæ Bohemiarum regnum Polonis tradere machinabatur, ob id captiva, simulque novo spectaculo cum funere Imperatoris Varadinum in Ungariam deportata. Multo felicior Bohemia Alberto Rege. Is quemadmodum ea tempestate inter Germaniam Principes religione & bellica fortitudine facile præstantissimus erat, multisque

semper præliis feliciter Hussitas obtinuerat, hostis hæreticorum acerrimus; ita postquam regno potitus, ad nullas unquam iniquas & religioni adversantes pactiones se a Bohemis abduci passus est; magnaque constantia eximius Princeps Ecclesiæ bona semper privatis commodis antetulit, præclaro ad posteros suos exemplo.

Multa præterea hoc anno Principum funera; quos inter Ludovicus Comes Palatinus, Ruperti Romanorum Regis filius, Dux bonus, pius, sanctus, ut Trithemius scribit, ultimo Decembris excessit, relictis tribus filiis, Philippo, Ludovico & Ruperto; ex quibus postremum Colonienfis Ecclesia sortita Archiepiscopum. Alterum Adolphi Montium, Juliae & Gelriæ Ducis funus, quem mors 8 Julii Coloniae in Abbacia S. Pantaleonis sustulit, nullo hærede filio superstite. Quapropter Gerhardum, quem ex Wilhelmo fratre Ravensbergenfi habebat nepotem, Successorem dixit. Is amplissimarum harum provinciarum possessionem adiit, multum juvante, qua tum erat auctoritate & potentia, Theodorico Colonienfi Archiepiscopo, quod ex nepte ejus, ut supra diximus, Wilhelmo Comiti Ravensbergenfi post abdicatum Paderbornensem Episcopatum

Funera plurium Principum Trithem. in chron. Spanheim. Teſchem. p. 2.

Theodorici Diœcesis Paderbornensis, ingressus, incolarum animos benevolentiam sibi recalcitrare studebat. Litera tabularii Paderborn.

Mors Willebrandi Episcopi Mindensis, Abbatis antea Corbejenfis. Chron. Mindens. Cranz. in Metrop. Ervvinat in chron. Osnabr.



tum denupta, genitus esset. Juvenis haud multum supra vigesimum annum; cui in matrimonium data Sophia Lawenburgica, Bernardi Saxoniae, Angariae & Westphaliae Ducis filia, quae cum sterile per multos annos habuit conjugium, eoque in spem potiundi Juliae & Montium ducatus, ut ad annum Mccccē referemus, Archiepiscopus venit. Ipse interim hoc anno diffidium, quod inter Capitulum Paderbornense, & Fridericum ac Burchardum Pappenheimios exarserat, per Ludovicum Hassiae Landgravium, a se delectum arbitrum, composuit; sicuti id ex literis festo D. Luciae die Grubensteinii datis accepimus. Magna per id tempus Landgravii Hassiae auctoritas & potentia, qui ducta in matrimonium Saxoniae Electoris filia, haereditarium foedus inter utramque familiam ictum inflammaverat, quique quatuor Hassiae Comitatus Zigenheimensem, Nidanum, Catimelinboensem, & Dietanum extinctis haereditibus conjunxerat.

Accessit ad caetera hujus anni funera Joannes Diepholdius, Osnabrugensis Episcopus, ipso sacratissimo Christi patientis die, in flore aetatis defunctus, gesto per XII annos Episcopatu. Praesul procerus & eleganti corpore, moribus & prudentia supra aetatem maturus, in adversis constans, in tractandis rebus publicis, patris cum primis Conradi Comitis opera, quem primis annis apud se moderatorem habuit, aequae fortunatus, atque in bello, quod cum Episcopo Monasteriensi & Mindensi gessisse diximus; pari felicitate intestini dicecesis hostes, Klenckii videlicet & Buschii, ceterique ejus factionis nobiles ad obsequium redacti; ad quorum vires excindendas castrum Gelsmor obsedit expugnavitque. Demum collisus cum Capitulo, in centore Hugone Schagenio Decano, florentem vitam inter calamitates exiit, veneno, ut creditum est, a muliere per potum cerevisiae myrthinae praebito; id quod Decani artibus factum vulgavere. Fumus Cathedrali Ecclesiae illarum, & honorificentissime conditum. Successorem nactus est, Canonicorum suffragiis, Ericum Hojanum Comitem, Praepositum Coloniensem, fratrem Alberti Mindensis Episcopi, & Joannis bel-

licosi & furiosi Comitis. At quibus Ericus turbis jactatus, temporari memorandum, tanquam iusta hominem poena consecuta sit, qui pactione cum Canonicis inita de certis praediis, quae Capitulo cederet, Episcopatum adeptus est.

Interim maximum religionis pietatisque in populo conservandae praesidium erat in religiosi viris, accessereque ad caeteros religiosorum ordines, per id tempus omni virtutum aspectu illustres, Canonici, ut supra monuimus, ex instituto D. Augustini & congregatione Wingsheimensi; quos subsecuti Crucigeri Colonia postulati. Et hi, uti jam ante in Paderbornensem dicecesin admissi Valckenhagensis Cœnobium incolere, magna virtutum commendatione; ita in Monasteriensem quoque Dicecesin recepti, nobile Bendacense Cœnobium ad Amasis ripam haud procul ab Oppido Reine hoc anno exorti sunt. Vetus eo loco aedes sacra a Sifrido, decimo tertio post S. Ludgerum Episcopo, consecrata D. Gertrudi erat, multis exinde celestibus beneficiis & miraculis hominumque affluxu celebris; quam Rector ejus Sacelli & Sacerdos Ludolphus Fabri Crucigeris ultro obtulit. Ac postquam ex Episcopi & Capituli consensu ab Eugenio Pontifice superiori anno publicae auctoritatis litera impetrata eadem sacram convertendi in Cœnobium, evocatus Colonia hoc anno Joannes Terborchius prima fundamenta jecit. Patria is erat Nottelensis, in dicecesi Monasteriensi natus eodemque in loco Sacerdos; qui deinde sanctioris vitae ardore incensus, & Coloniae in familiam Crucigerorum admissus, multos annos Priorem sui Cœnobii egerat. Vir singulari modestia, suavitate agendi, paupertatis studio, omnibusque religiosi Sacerdotis ornamentis conspicuus, quem nemo facile conspexit ad secularium mensas aut convivia invitatum accedere, tam suis quam profanis sanctimoniae exemplar: Ob haec totiorum hominum largitionibus accumulatus, auctusque etiam praedio adjacente, quod duobus millibus florenorum est emptum, brevi florentissimum istic religiosi viris & opibus Cœnobium cum magnifico templo confurgere vidit.

Annus

Tribem. in  
Ciron.  
Spanh.  
Cupinian.  
in Alberto.  
Urbem.  
Paralip.  
Langius in  
Ciron.  
Nancier.  
Genr. 49.  
Fabricius.  
Albertus II  
Rex pri  
mum Hun  
ger. 2. cum  
Bohemia.  
denique  
Romano  
rum Inse  
rior dici  
tur.

Chron. Bent  
lacen.  
Crucigeri  
in Dicecesin  
Monast.  
vocari Cœ  
nobium  
Bentlacen  
se inchoant



Annus Christi 1438.

Eugenii IV. Pont. 8. Alberti II. Cæsar. I.

Theodorici Administ. Pad. 23.

Insequens annus, qui Christi erat xxxviii ejus sæculi, novum Imperatorem dedit; mors enim Sigismundi Cæsaris tria regna, Bohemiæ, Ungariæ & Romani Imperii vacua fecerat, magna Reipub. Christianæ conturbatione. At quia Sigismundus Albertum Austria Ducem generumque suum testamento Successorem scripserat, ex procerum etiam consensu, Albertus primum ab Ungaris Calend. Januarii Rex salutatur. Plus laboris fuit in regno Bohemiæ adeundo, quod Hussitæ perfida Sigismundi conjuge concitati, Casimirum Regis Bohemiæ fratrem Regem postularant. Verum postquam Bohemis Sigismundi tabulæ sunt propositæ, commotratumque, Elizabethæ Sigismundi filia regnum illud hæreditario jure deberi: accederentque pacta inter Bohemiæ Reges & Austria Principes, Imperiali auctoritate comprobata; assensere proceres, & Albertum, cui Elizabetha denupta erat unica regnorum hæres, Regem suum dixere. Supererat Romani Imperii corona Alberto, ut Sigismundo ex integro succederet in tria regna. Quam in rem cum per Quadragesimam Imperii conventus indicerentur, convenire Francofurti Septemviri, & una omnium consensione, nullo discrepante, xiii Calend. Aprilis Albertum Regem Romanorum delegere, Principem sapientia, religione, bellica fortitudine, potentia, & omni virtutum laude inter Germaniæ Principes clarissimum. Ægre prius ferebant Ungari suum sibi regem abstrahi; quod Regem mallent regno præsentem, qui Turcarum imminentium impetus sustineret. Victi tandem Germanorum precibus, adductaque majore Imperii totius ope adversus juratum Christianorum hostem, consensere. Igitur Albertus hoc anno Calend. Januarii Ungariæ, & iii Calend. Junii Rex Bohemiæ coronatus, idemque post electionem Aquisgrani a Theodorico Colonienfi Archiepiscopo in magna Principum & procerum corona Rex Romanorum inunctus est; id licet cæteri Scriptores prætermiserint; tradit tamen Dubravius ac Crantzius, ac verisimile faciunt Beckius, Morfæus, ac Geleni-

us, qui hoc anno Albertum Regem Colonia trium Regum corpora veneratum scribunt; quem & Eugenius Pontifex hoc anno confirmavit, ut satis compertum ex magnifica Pontificis epistola Ferrariæ ad Albertum Regem data, qua Principem summæ sapientiæ & virtutis, egregiæque in Deum pietatis & religionis appellat: nihilque ab eo sollicitius requirit, quam patrocinium Apostolicæ sedis, & defensionem Ecclesiæ Catholicæ adversus hæreticos & Turcas.

Et vero nihil quoque sollicitius habuit Albertus Rex. Nam ob id, Bohemiam hoc anno ingressus est cum exercitu xxx millium; castraque sequebantur Christophorus Dux Bavarie, quem postea Dani Regem elegere, Fridericus Dux Saxonie, Albertus Marchio Brandeburgensis, multique Germaniæ & Saxonie proceres; quorum viribus adjutus, Talsconem hæreticæ factionis caput ac cæteros rebelles Bohemos commissis præliis obtrevit, æmulumque regni Casimirum in turpem fugam conjecit.

Compositis in Bohemia rebus, in Germaniam rediit, & Nurembergæ Principum comitia indixit; ad quæ Pontifex mense Septembri suos etiam Legatos misit, qui Cæsarem & Principes Imperii ad pacem Ecclesiæ inducerent, Patresque concilii Basileensis cum Eugenio Pontifice & Apostolica sede componerent; quod is jam, reclamantibus Basileensibus Patribus, Concilium Ferrariam avocarat. Quam ob rem Pontifex literas dedit ad Archiepiscopos, Duces, Landgravios, Marchiones & Comites Imperii. Verum ea Comitia, quod Nuremberga longius posita esset, eoque Principes plerique detrectarent accedere, non processerunt; obluçtante cumprimis Theodorico Colonienfi Archiepiscopo, cujus per id tempus maxima auctoritas erat apud Cæsarem & Principes. Nec enim Eugenius Pontifex ullum sibi inter Germaniæ Archiepiscopos magis adversantem habuit, quam Coloniensem Archiepiscopum, a quo multa etiam post, ut hætenus fecerat, turbata in Concilio Basileensi.

Albertus Bohemos domat.

Fabritius Spangeb. Chron. Saxon. Indicit Comitia Principum Nurembergæ. Concilium Basileense ab Eugenio avocatur Ferrariam.

Annus

Tribem. in Chron. Spanb. Cuspinian. in Alberto. Urberg. Paralip. Langius in Chron. Nauclet. Gener. 49. Fabritius. Albertus II Rex primum Hungar. & cum Bohemiæ, denique Romanorum Imperator dicitur.

Chron. Bentlacen. Crucigeri in Diocesi Monast. vocati Cænobium Bentlacen. se inchoant



## Annus Christi 1439.

Eugenii V. Pont. 9. Alberti II. Cæsar. 2. Theodorici Adm. Pad. 24.

*Aeneas Syl-  
vius de  
gestis Con-  
cilii Basile-  
nensis.  
Raynald. in  
hist. Eccles.  
Brover.  
lib. 19. An-  
nal. Trevir.  
Comitia  
Nurimber-  
gæ indiſta  
transferuntur  
Moguntiam.*

Cæterum cum Norimbergæ lan-  
guerent indiſta comitia Principum, Al-  
bertus Cæſar ea ſequenti anno Fran-  
cofurtum tranſtulit, juſſitque ad Cal-  
end. Martias adeſſe Principes; at cum  
ille quoque locus metu peſtiferæ con-  
tagionis non placeret, Moguntia pro-  
cerum conſenſu delecta eſt: eoque  
præter Cardinales ab Eugenio miſſos,  
confluxere ex tota prope Europa Epi-  
ſcopi & Principum Legati. Aderant  
ex ordine Septemvirorum tres Archi-  
epiſcopi, Theodoricus Colonienſis,  
Theodoricus Moguntinenſis & Raba-  
nus Trevirenſis, interque exteros Archi-  
epiſcopus Turonenſis. Acceſſere  
Epiſcopi ex Gallia, Hiſpania & Italia,  
cum Aquileienſi Patriarcha, ſumma  
fere rei deliberandæ erat, concordia  
Eccleſiæ; quando ſatis intelligebat Pon-  
tifex, Patres Baſileæ non tam in hæreſes  
extinguendas, & diſciplinam Eccleſiæ  
reparandam, quam in ſe deprimen-  
dum exuendumque Pontificia dignitate  
intentos, omnia conſilia agitare. Hinc  
quantum Pontifex conſiſus Baſileenſe  
concilium diſſipare, tantum Baſileenſes  
obnixi, ne loco moverentur. Jam ve-  
ro ubi Moguntia ventum ad diſcepta-  
tionem, Theodoricus Agrippinenſis  
Archiepiſcopus (ut qui potentia, ge-  
neris claritudine & auctoritate facile  
inter omnes eminebat) prolocutus,  
pro Patribus Baſileæ retinendis, & de-  
cretis Baſileenſis Concilii recipiendis  
ſententiam dixit; quem Theodoricus  
Moguntinus & Rabanus Trevirenſis  
Archiepiſcopi ſecuti. Quanquam Ra-  
banum id gravato feciſſe excuſet Bro-  
werus; ne ſchiſmatis labem illi cum  
cæteris aſpergeret; quod animo magis  
in partes Eugenii inclinare viſus ſit.

*Contra par-  
tes Eugenii  
Pont. tre-  
tur Nico-  
laus Cuſanus  
Cardin.*

Interim cum aliis Moguntiam ac-  
ceſſit Nicolaus Cuſanus; qui, ſicuti  
antea Concilio Baſileenſi obrulerat tres  
libros de concordia Eccleſiæ, magna a  
ſe cura raraque ingenii laude elabora-  
tos; ita pro Eugenii Pontificis auctori-  
tate in hoc conventu Epiſcoporum &  
Principum libere & acerrime peroravit;  
eo ab Aenea Sylvio Hercules Orato-  
rum appellatus. Juvat in hanc rem  
verba ejus proferre. *Hercules omni-  
um Eugeniæ partium Nicolaus Cu-  
ſanus exiſtimatus eſt, homo & priſca-*

*rum literarum eruditiffimus, & mul-  
tarum rerum uſu perdoctus: hic omne  
ſtudium ſuum omnemque conatum in  
deſenſione Eugenii collocavit.* Natus  
is erat Cuſæ, in obſcuro ad ripas Mo-  
ſellæ prope Berncaſtellum pago, &  
ob præſtantiam ingenii Confluentiæ in  
Collegium Canonicorum adſcriptus.  
Linguam Hebraicam, Græcam, lati-  
nam, omnesque ſcientiarum artes com-  
plexus, eo æſtimationis devenerat, ut  
ob doctrinæ præſtantiam Collegii illius  
Decanus eligeretur. Inde cum fama  
integerrimæ vitæ ſcriptisque inclareſce-  
ret, Romam evocatus, publicis Eccle-  
ſiæ negotiis admotus eſt; quem de-  
mum ex paupere alumno ſuo vidit  
Confluentia Brixinenſem Epiſcopum,  
& Cardinalem Romanæ Eccleſiæ. Id  
hoc loco paucis adnotare viſum de ce-  
lebri viro, quem Legati Apoſtolorum  
munus per Germaniam & Saxoniam  
noſtram poſt multo clariorem fecit.

At quantum ille in præſenti cæte-  
rique Pontificis Legati, & cum his  
integriores viri pro Eugenio contende-  
rent; nihil tamen in hoc Moguntino  
conventu impetrare licuit: manſere  
pertinaces Septemviri; recepta ſunt  
decreta Concilii Baſileenſis & Germa-  
niæ imperata: ſtatutum retinere Patres  
Baſileæ in ſynodo; neque vetitum illis,  
quo minus in jus vocarent ipſum Pon-  
tificem.

Multo per hæc furioſius actum  
Baſileæ in Concilio a factioſis Patribus;  
quorum Dux Arelatenſis Archiepiſco-  
pus Cardinalis, inductus a Nicolao  
Pſeudo-Dominicano, traxit, in partes  
minoris ordinis Sacerdotes & Doctores,  
præſulesque ſcientia inflatos. Ab his  
renovatum prius decretum, turbam-  
entum videlicet Eccleſiæ, Concilium  
eſſe ſupra Pontificem, cui ſuprema in  
omnes a Deo poteſtas ſit data. Hinc  
illi Eugenium Pontificem pronunciare  
hæreticum, & in hæreſin prolapſum:  
vocare in judicium ſuum Baſileam, &  
cum ſe non ſiſteret, exauctorare, &  
in ejus locum Amadæum Ducem Sa-  
baudiæ (quantumvis pars ſanior Pa-  
trum reclamaret) renunciavere Pon-  
tificem Felicem V. dictum; qui Prin-  
cipatu in filios tranſmiſſo, in amenam  
Eremum ſeceſſerat, ſumptoque Ere-  
mitæ

*Nihil effi-  
ciant Lega-  
ri Pontifici*

*Baſileæ  
congregati  
dogmata  
ſua propo-  
gnant, &  
Eugenio  
Pont. ex-  
thorato  
ſubſtituunt  
Amadæum  
Felicem V.  
nuncupa-  
tum.*

*Trithem. de  
viriſ illu-  
ſtribus.  
Fautal. de  
viriſ illuſtr.  
Ejſeng.  
lib. de ſcrip-  
tis.  
Bibliaſ.  
Papiſ.  
Ludov. a S.  
Carol.  
Bibliaſ.  
ſcripſ.  
Ordin.  
Cifter.  
Concilium  
Baſileenſe  
ſcriptis li-  
bris deſen-  
ditura Mo-  
nacho Ma-  
riæfeldenſi*

*Floret hoc  
tempore  
Henricus  
Werlenſis  
Weſtphalus.*



mita habitu, octo istucannos privatim egerat; titulo tamen Ducis ac viginti famulis ad obsequium retentis. At nihil foedius eo in Concilio actum, quam Eugenium Pontificem, de quo orbi christiano nunquam dubium fuerat esse verum Pontificem, dignitate movere, & in locum ejus Pseudo Pontificem obrudere. Inde turpissimum illud & perniciosissimum schisma, in quo alii Eugenio, alii Felici V. alii medii inter illos, neutri hærebant. Quæstusque magnopere Eugenius Pontifex, se ab Alberto Romanorum Rege deserit; quod & is neutri parti se favere promulgarat.

Magnum interea pondus adjecit Schismati Moguntinus, de quo retulimus, conventus, approbando omnia Concilii Basileensis decreta; inter quæ cum perniciosissimum esset, Concilium esse supra Pontificem, hinc a Germanorum sententia multum confirmati Schismatici. Nec Pontifex ullos sibi meditata concordia magis noxios habuit; quam Ludovicum Arelatensem Episcopum in Concilio, & Theodoricum Archiepiscopum Coloniensem in Germania.

Ego tamen nullum Saxoniam Germaniamque Episcopum sistere possim, qui Basileam se præfens huic pestiferi factioni in exauctorando Eugenio miscuerit; reperio tamen ex Westphalis Cœnobii Campi-Mariæ in dicecesi Monasteriensis Monachum, virum, ut Trithemius scribit, ingenio subtilem, & clarum eloquio, sacrarumque literarum peritissimum, qui pro defensione Basileensis Concilii multum laboravit, scriptis in hanc rem libris; quorum unus est de auctoritate Pontificis & Concilii, & voce definitiva Episcoporum; alter de ipso Schismate: tertius de iis, qui neutri parti accedunt in schismate. Alia præterea ejusmodi ingenii monumenta ab illo edita, ut, tum quilibet sapere, & laboranti Ecclesie, opem ferre voluit, noxiam sæpe magis, quam utilem: vixit autem is scriptor hoc ipso anno quo schisma fervere cœpit; hinc & anno proximo ob doctrinæ famam Basileam ad Concilium evocatus. Celebre tum Cœnobium illud Cisterciense erat doctis viris; quos inter ipse Abbas memoratur laurea Doctorum exornatus. Clarus quoque per id tempus Henricus Werlensis, gente Westphalus, professione D. Francisci

Monachus, ac provincialis Ordinis sui præses, qui Trithemii testimonio, refertur Doctor Gymnasii Agrippinensis, disputator acutus, & divini verbi præco egregius; qui ob scientiæ præstantiam ad Concilium quoque Basileense evocatus; ut eo tanquam ad mundinas suas convolarint Theologi, postquam decreta Concilii Basileensis ab Academia Parisiensi, Colonienfi; Viennensi, Erfurtensi & Cracoviensi comprobata fuere,

Simul per id tempus Eugenius Pontifex legitimus ex tota Ecclesia convocatis præsulibus Florentinum Concilium habuit; ad quod Joannes Palæologus Constantinopolitanus Imperator cum Josepho Patriarcha, & lectissimis suæ gentis Episcopis, doctisque viris accessit, invitatus a Nicolao Cusano, quem ob id Pontifex Græcæ linguæ peritum miserat Constantinopolim. Concilio præfedit ipse Pontifex, in eoque Græci & Armeni in concordiam cum Latina Ecclesia convenere. Res admiratione digna, dum Basileæ in Germania Ecclesia Schismate laceratur, Florentiæ in Italia Orientalis & Occidentalis Ecclesie conjunctio instauratur; prorsus, ut Spiritus ille divinus, quo Concilia reguntur, a Schismaticis ad veri Pontificis Concilium demigrasse videri possit: nec inani vulgi rumore jactatum sit, Basileam, obruto felice Pseudopontifice suo, infelicem basilicam peperisse; & Eugenius, frustra Schismaticis oblectantibus, verus ad obitum Pontifex permanferit.

Hæc inter Albertus Romanorum Rex, post exsolutum votum a Cella Virginis regressus Viennam, a Regina & Ungariæ regni proceribus literas accipit, quibus sollicitatur; in Ungariam festinet, nisi regnum in manus Turcarum venire velit; quod jam Amurathes Turcarum Imperator Serviam intrasset, expugnataque ad Danubii ripam Sinderovia, Belgrado immineret. Igitur Albertus Rex, contracto exercitu, cum falcatibus curribus, omnibusque bellicis machinis ac tormentis in Ungariam prope rat. At cum Sindronium pervenisset, Turcam seu fama adventus Regis, seu præsentis expeditione fatigatum recessisse didicit. Quare Rex dissoluto exercitu Budam rediit. Ibi dum per calores Augusti versatur, ex immodico peporum esu in profluvium ventris solvitur. Prætergressus interim Strigonium, cum morbum invalescere sentiret, pro christiano

Concilium) Florentinum, in quo Græci cum Latinis conciliati.

Nasclerus Cuspinianus, Albertus Imp. in Hungariam contra Turcas movet.

Nihil efficiant Legari Pontificis

Trithem. de viris illustribus. Fascal. de viris illustribus. Eijogr. lib. de Scripturis. Bibliot. Pontif. Ludov. a. S. Carol. Bibliot. Script. Ordin. Cisterci. Concilium Basileense scriptis libris defensum a Monacho Musienfensensi

Floret hoc tempore Henricus Werlensis Westphalus.

Basileæ congregati dogmata sua proponant, & Eugenio Pont. ex auctoritate substituant Amadeum Felicem V. nuncupatum.



Obitus Alberti Imp. Baptista Egnat. Trithem. in Chron.

stiano ritu omnibus Ecclesie Sacramentis sibi provideri voluit. Quibus pramunitus, haud procul villa Longa, edito testamento, sexto Calendas Novembris anno ætatis trigesimo nono mortalitatem

implevit, postquam annum unum & menses novem imperasset. Non facile Cæsar, qui aut majori spe ad Imperium venerat, aut majori etiam luctu in flore ætatis amissus fuerit.

Chron. M. Belgii. Lang. in Chr. Cui.

## Annus Christi 1440.

Eugenii IV. Pont. 10. Friderici III. al. IV. Imp. 1. Theodorici Admin. Pad. 25.

Mauccler. Genor. 49. Æneas Sylvius Trithem. in Chron. Spanh. Chyprian. in Frider. Lang. in Chr. Cui. Cranz. lib. 11. Saxon. c. 30. Uriberg. Paralip. Chron. M. Belgii. Fridericus Dux Austriae &c. Rex Romanorum Alberto successit.

Posteaquam morte Alberti Cæsaris tria rursus regna vacua fuere, primi inter Principes Septemviri solliciti concordisque sub initium anni hujus sequentis Romanorum Regem subrogarunt. Indicta in hanc rem Francofurti comitia; in quibus, ut Cuspinianus inquit, sub initium Januarii; aut ut Nauclerus 3. Calend. Aprilis; aut quod alii verisimilius referunt, secundo Februarii, die Virgini Purificatae sacro, delectus est Fridericus Austriae, Stiriae, Carinthiae, Carniolae Dux, Comes Tirolis, Ernesti Ducis Austriae filius, & Alberti Cæsaris patruelis, juvenisque xxvi annorum, Romanorum Rex appellatus. Multum discordantes sub initium Principum erant voluntates, distrahente comitia Joanne Gartio Westphalo, ex Gartiorum apud Mindenses familia, Sigismundi quondam Protonotario, viro solertis & callidi ingenii, a quo multa conficta in Fridericum vitia disseminabantur. Nec his acquievit Gertrius; sed & scriptis etiam post ad Nicolaum Pontificem literis tentavit Romæ impedire coronationem Friderici Cæsaris. Quae etsi Fridericum non laterent; hominemque praedivitem multis supplicis punire posset; passus tamen est Viennam inultum vivere. Et quantum etiam in his comitiis Gertrius verteret Principum animos; vicit tamen eorum sententia, qui Fridericum Imperio Romano dignissimum judicabant. Quippe Princeps erat pietate & religione egregius; qui jam vigesimo ætatis anno, frustra aliis obnitentibus; per mare in Palæstinam proventus loca sacra inviserat, iudicio supra ætatem maturus, pacis juxta ac Clericis amans, æquus, benignus, vini cibique continentissimus, procero ac pulchro corporis habitu, omnibusque virtutum ornamentis ad Imperium natus.

Facta electione missus est nomine Collegii Electorum Jacobus Trevirensis Archiepiscopus Viennam ad Fridericum, qui summum illi honorem deferret, invitaretque ad regnum Romani Imperii capeendum; admittit quidem Fridericus dignitatem; sed in presenti adduci non potuit, ut secum Aquisgranum descenderet ad augustale diadema capiendum. Quare celebritas hæc in tertium abhinc annum prolata est. Interim in hisce Francofurtensibus Comitiis, sicuti supra in Moguntinis factum diximus, Principes decrere, neque ad Eugenii, neque ad Felicis Pontificis partes accedere, sed medios partiumque intactos manere, quod decretum xvi mensis Martii vulgarum. Ac magis pro capite Imperii ac Ecclesie solliciti, novum

acephalorum Schisma conflare, qui nec verum Pontificem, nec Pseudopontificem tolerent. Huic politico decreto Principum sese ad tempus conformavit Fridericus Rex; donec proximis comitiis, quæ Moguntiae in sequentem annum indixit, ex Principum voluntate certius de concordia Ecclesie sanciretur; ad quæ & Carolus Francorum Regem scriptis literis invitavit.

Auctor hujus politici Concilii, ne desertis Schismaticorum partibus ad Eugenium Pontificem accederent, Theodoricus Coloniensis Archiepiscopus, qui pertinaci aversoque in Eugenium animo Moguntinum cæterosque Germaniae Præsules in suam sententiam detraxit. Quem adeo quoque publicis hisce rebus turbisque involutum accepimus, ut nihil ab eo hætenus per nostram dicecesin, neque in sacris neque civilibus, actum reperiam, præterquam quod hoc anno castrum Cogenbergam a Ludovico Hassiae Landgravio 326 florenis Rhenanis redemerit, ac dicecesi Paderbornensi reddiderit, relicto interim jure Corbeiensibus suam castri partem repetendi.

Referunt ad hæc tempora plerique Scriptores Typographiae artem magno mortalium bono repertam, auctore Joanne ab Gutenbergio Argentineni artifice, qui eam Moguntiae, Theodorico Archiepiscopo ac Metropolitano nostro, magnis suis sumptibus expoliivit. Nam ante Gutenbergium Faustus civis Moguntinus, opificio aurifaber, et Joannes Schefferus patria Geresheimensis, Fausti discipulus, rudi opere primi repertores protulerant in lucem; doctas, ab his Gutenbergius, cum vicinus habitaret Faustus, hausit, sumptibus simul, quod locupletior esset, suppetitatis; post orta discordia inter Faustum et Gutenbergium, Faustus Moguntiae mansit, Gutenbergius vero Argentinam ad natale solum discessit. Artem exinde Joannes Mentelius multum perfecit; quæ Argentinam traducta Neapolim in Italiam a Sixto Rufingero Argentinensi, ac Romam ab Udalrico Hanio Germano. Hujus postremi nomine, cum Gallum sonet Germanis, nonnulli in errorem abducti repertorem hujus artis ex Gallia traducere conati sunt. Moguntia deinde tanquam e suo fonte non modo per Italiam, sed & per univèrsam Europam brevi ars illa diffundi cæpit; primisque statim annis per Belgium, Saxoniam, & Westphaliam propagata inclaruit; sicuti hæc inter cæteros exacte a Serrario, et Mallingrotio pertractata sunt.

Auctor præcipuus Schismatici Theodorici ep. Coloni.

Ars Typographica hoc tempore vel reperta, vel expolita.

Serrarius. lib. 1. Magni. verum c. 37. Mallingrot lib. de arte Typographica.

Æneas Sylvius Cochleus Spondanus. Nauclerus.

Cochleus in histor. Hist. l. 9. Raynald. in histor. Eccles. Schilma Principum Imperii nec verum nec pseudopontificem recipientem.

ANNA-